DF
572
.I6

87618

gegen

Germ Lit

Class Book

University of Chicago Library

BERLIN COLLECTION

GIVEN BY

MARTIN A. RYERSON

H. H. KOHLSAAT BYRON L. SMITH

CHAS. L. HUTCHINSON C. R. CRANE

H. A. RUST CYRUS H. MCCORMICK

A. A. SPRAGUE C. J. SINGER

DE
REBUS GESTIS
JUSTINIANI MAGNI

AUCTORE

PHILIPPO INVERNIZI

EXCUDEBAT ROMÆ MDCCLXXXIII.
PAULUS JUNCHIUS.

Præſidum Facultate.

Digitized by Google

DF 572
.I6

589340

EMINENTISSIMO, ET REVERENDISSIMO

S. R. E. CARDINALI BIBLIOTHECARIO

FRANCISCO XAVERIO DE ZELADA

PHILIPPUS INVERNIZI ROMANUS F.

JUſtiniani Auguſti facta cum revocare ego ad examen cogitaſſem, ea quæ in hanc rem mihi occurrerunt in adversaria quædam mea tunc conieсta, cum amicis meis quibuſdam doctis, & prudentibus viris non diſplicuiſſent, nunc

foras effero, tibique inſcribere audeo, Princeps Eminentiſſime. Sicuti enim mihi convenire hoc argumenti genus exiſtimavi, qui Forum, qui Curiam, ſcilicet Juſtiniani aulam ſequor; ita non dedecere credidi, ut hæc tueatur, qui licet in Collegium nunc ampliſſimum ſit S. R. E. Cardinalium cooptatus, adhibituſque graviſſimis ac difficillimis muneribus, & Romanæ Eccleſiæ præclariſſima Bibliothecarii dignitate exornatus; tamen plurimis annis huic orbitæ inſtitit litium judicandarum, explicandarumque ſumma cum laude, imo cum legis peritorum quorumcumque admiratione legum Juſtiniani. quæ etiam peculiaris cauſa ſi mihi defuiſſet; erant tamen aliæ, quæ ut id facerem impellere me, & cogere debuiſſent. Quid enim non feciſſet illa, quod cum tibi Athenæi Collegii Romani cura commiſſa Litteratiſſimo Principi, & Sapientiſſimo fuiſſet, diſciplinæ hujus noſtræ præclariſſimæ parti, Juri nimirum publico, in illud aditum patere voluiſti? Prætereo quod qualiſcumque ego ſim, ex hujus Athenæi Scholis prodivi, quas multos annos celebravi; utinam

nam eo fructu, ut ornamento aliquo eſſe illis aliquando poſſim. Singulares hæ cauſæ ſunt; ſed generalis illa eaque ampliſſima, quod litteras omnes, & qui litteras colunt foves, protegis, atque ſuſtentas. Demonſtrat hoc domus ipſa tua, bonarum artium omnium arx & domicilium; in qua quicquid illarum eſt non ſolum nostri homines, ſed gentium quoque externarum congeſtum diligentiſſime, egregie diſpoſitum, diſcretum ſapientiſſime admirantur. Itaque nemo eſt, qui inter urbis hujus admiranda, quæ multa ſunt, non domum tuam ſibi adeundam putet celebrandamque. Admirantur vero non modo ſapientiam tuam, ſed etiam facilitatem, qua omnes excipis, & theſauros tuos nemini aut viſere, aut tractare etiam eſſe interdictos velis. Hæ ſunt cauſæ, Cardinalis ampliſſime, quæ me adduxerunt, atque excuſare etiam poſſunt, cur parvam opellam hanc ſtudiorum meorum primitias, & quaſi crepundia tibi conſecrarem: quæ ſi conſueta illa tua humanitate, & benignitate exceperis, facies omnino, ut ad majus aliquid conandum animi addantur, quod ne-

neque præclariſſimo nomini tuo, neque Scholis, quas gubernas, & quibus totum me debere profiteor, ſit, ut ſpero, dedecori.

IN

IN JUSTINIANI MAGNI VITAM

PROŒMIUM.

Magni ingenii homines, & optimarum artium ſtudio flagranteis, multam ſe poſſe laudem conſequi, & gloriam ſibi ingentem comparare exiſtimarunt, ſi ab ultima antiquitate vetera repetendo, clarorum hominum famam, obrutam jam vetuſtate, ſcribendo ac differendo renovarent. Juſtinianus quidem Romanus Imperator, & geſtarum rerum gloria, & legibus latis, & triumphis, & virtute præclarus, latum campum præbet, in quo docti & eruditi viri cum laude poſſint excurrere. Ipſe namque præter belli ſtudia, adeo pacis artes excoluit, ut & florentem viderit & optimam rempublicam, atque ab armis barbarorum & ſervitute Imperium liberatum.

Nec defuerunt ſane docti homines, qui ſcribere de eodem cogitarint. At cum horum alii paucis rem abſolverint, ut inſtituerant, alii ſint in hoc argumento verſati non ſine dolo ac mendacio (*): erat dignum re, dignum homine doctiſſi-

* Plures libros ſcripſit de Juſtiniano *Procopius Cæſarienſis*: quem conſequutus eſt *Agathias*, cultui Idolorum addictus, ut Voſſius putat. *Joannes Lydus*, de quo videndus Voſſius Lib. II. de Hiſtoricis Græcis: *Plutarchus*, qui a Secretis eidem Juſtiniano fuit, de quo Nicolaus Alemannus in Prolegomenis ad *τὰ ἀνέκδοτα* Proco-

ctiſſimo efficere, ut præclara facta Juſtiniani, eruta ex veteribus monumentis, uni quidem libro mandarentur. Angebar ego vehementer & dolebam, cum neminem ex tot viris præſtantiſſimis, qui hac noſtra maxime ætate florent ac vigent, viderem, de Juſtiniani vita ſcribenda cogitaſſe. Itaque ut telo percuſſum aut gravi morbo impro-

copii: *Hermolaus*, *Petrus Orator*, aliique, quorum ſcripta perierunt. *Menandrum Protectorem* adnumerari inter eos poſſe, cenſent nonnulli, qui ſub Juſtiniano χρόνικα compoſuerunt: ſuæque hiſtoriæ κλίσματα in *Legationibus* extare. His quemdam *Theophilum Hiſtoricum* addit Alemannus, quem fuiſſe Juſtiniani præceptorem, Ludewigius putavit. Quis autem novus hic Theophilus fuerit, ſemper eſt ignoratum: nec Ludewigius, nec Hoffmannus, nec, cujus fide creditur extare, Alemannus, demonſtrare id veterum auctoritate potuerunt. Quin etiam vir clariſſimus Guillelmus Otto Reitz in tertia adnotatione ad Hiſtoriam *Theophili ICti* Joannis Henrici Mylii cap. 1., ſolide Alemannum refutavit. Quare ut opinor de hac re deſitum eſt diſputari. Eſt autem qui cenſeat hanc Theophili Hiſtoriam Alemannum in Vaticana Bibliotheca legiſſe: in qua tamen cum diu & ab aliis, & a me doctorum hominum, & laudatæ Bibliothecæ peritiſſimorum opera fuerit quæſita nullus Codex profecto in quo extaret Theophili hiſtoria, nulla eſt pagina reperta. Inter recentiores autem hi maxime commendantur. *Egidius Perrinus* in Vita Juſtiniani Pandectis Venetis præmiſſa, *Hubertus Giphanius* in Oratione de Fl. Juſtiniano; *Franciſcus Balduinus* in Commentario de Jure Novo, *Antonius Contius*, *Franciſcus Hotomannus*, *Franciſcus Guinetus*, & Poſtremus omnium *Petrus de Ludewig.*: cujus libri lectionem me aſſequi, licet diligenter ubique quæſierim, non potuiſſe, profiteor. Scripſit hic, ut ex *Struvio* atque *Hoffmanno* conſtat, Vitæ Juſti-

proviſo correptum ignaviores homines mulierefque conſolantur, ſi viri fortes ac medici, vel præſto non ſunt, vel recuſant; ſic ego tenuis ingenii & nullius doctrinæ, vir novus ac nulla re commendatus, tam nobile argumentum, deſertum fere ab omnibus, ſuſcipere decrevi.

Sed vix manus ceræ ſtilum admovit, a qua ſæpe refugerat, multas eſſe ſuperandas difficultates proſpexi. Etenim ſi hiſtorias ſcribere, res inter difficillimas adnumeratur, cum propter illam, quæ eſt neceſſario adhibenda, ſermonis elegantiam, tum propter diverſitatem rerum & abundantiam, quarum tenendus eſt cum brevitate, nec minori claritate delectus; quantam futuram cenſemus in ſcribenda Juſtiniani vita difficultatem? Hæc enim eſſet florida ac venuſta oratione exornanda, & graviter ſane probeque pertractanda: ad hanc factorum abundantia, & in-

---

Juſtiniani primam partem, quam *Proſcenium* nuncupavit: in qua crimina in Juſtinianum ficta, altera in parte diluenda, proponit. Hanc vero cum Vita Theodoræ & Triboniani conjunxit: de qua re & in *Actis Lipſiæ* & apud *J. G. Heineccium* frequens ſit mentio. Vir doctus *Reitz* ita de hoc Ludewigii libro judicavit. *Sed quantumvis*, inquit, *hoc ſit veriſimile, tamen Ludewigio tot errorum a viris doctis jam convicto ſine teſte illud affirmanti credere minus tutum eſt; cum & in nota ſuperiori ex ingenio, ut alias, finxiſſe videatur, Imperatorem ab eodem (Theophilo) in jure, & philoſophia fuiſſe inſtitutum*. Poſt hunc alia de Juſtiniano, & nova methodo ſcripſit *Chriſtianus Godefridus Hoffmannus* in Secundo Libro Hiſtoriæ Juris, qui plurimum a Petro Ludewigio diſſentit.

ingens rerum varietas concurrit: atque eſt etiam providendum diligenter, ne qua ſuſpicio gratiæ, ne qua ſimultatis interveniat.

Quid dicam de temporum calamitate, quibus vixit Juſtinianus? Ea enim ætate Rempublicam adminiſtravit, qua pene jam barbaræ gentes Imperium Romanum deleverant. Gothis namque Italia parebat, & Roma ipſa, caput Romani Imperii, arx totius terræ, omnium populorum ſenatus & conſilium, nunc fuerat populata & direpta, nunc cædibus ferro & igne devaſtata. Franchi item Galliam tenebant, Hunni Pannoniam, Hiſpaniam Burgundiones & Gothi, Vandali Africam uſurpaverant. Orientale denique Imperium, licet non omne barbaris ſerviret, multis tamen fuerat bellis laceſſitum, diriſque terræmotibus labefactatum.

Hæc, & alia multa profecto, ſic terrere meum animum potuerunt, ut in limine rei ſæpe conſtiterim, & tota cadere cauſa, vix vadimonio promiſſo, debuerim. At cum ſæpenumero cogitaſſem, vel conatus ipſos in rebus magnis placere, denique totis viribus in hanc rem perficiundam incubui: quam nunc, ut eſt plane rudis, & incomta oratione conſcripta, doctorum hominum oculis, ut tyronis votum primo ad pugnam ituri, ſubjicio.

Monendi vero ſunt ii, qui hæc mea forte perlegent, ita me in hac re eſſe verſatum, ut laudarim æque ac reprehenderim Juſtinianum, cum laude dignus fuit, & reprehenſione. Id etiam potiſſimum curavi, ut omnem, qua re cumque

poſſem,

poſſem, dicendi moleſtiam effugerem: rebus dubiis præſertim occurrere: ea demum argumenta ſolummodo proferrem quæ firma eſſe certaque viderentur. Quæ enim poteſt eſſe ſuſpicio gratiæ cum mortuis? quæ mihi neceſſitas cum Juſtiniano? Quod ſi cui aut integrum opus, aut partitio, aut res aliqua diſplicebit (vim enim legis obtinuit vetus illa de libris judicandi conſuetudo) ſic me paratum eſſe profiteor, ut omnem doctorum hominum reprehenſionem pertimeſcam; illis autem, qui quadam ſunt ad reprehendenda aliena facta potius libidine accenſi, quam inquirendæ veritatis amore inflammati, *me eſſe ſubjectum haud pœnitet, magis reticuiſſe pigeret.*

IN-

INDEX LIBRORUM

LIBER I.

DE Patria, Parentibus, Ortu, & Doctrina Juſtiniani.

LIB. II.

De Nuptiis Juſtiniani cum Theodora.

LIB. III.

De Adoptione Juſtiniani in Familiam Juſtini, & de Initiis Imperii.

LIB. IV.

De Terræmotibus, Peſtilentiis, Seditionibus, quæ Juſtiniano imperante Romanum Imperium vexarunt.

LIB. V.

De Bello Perſico.

LIB. VI.

De Bello Wandalico.

LIB. VII.

De Bello Italico.

LIB. VIII.

De legum Collectione atque Emendatione; item Digeſtis Codice, Inſtitutionibus, & Novellis.

LIB. IX.

De Ædificiis Juſtiniani.

LIB. X.

De Tribus Capitulis.

LIB. XI.

De Vitiis & Virtutibus Juſtiniani.

LIB. XII.

De Religione, Errore, Obitu, & Funere Juſtiniani.

ADPROBATIONES.

JUſtiniani Imperatoris Vitam a Philippo Invernizio, eximia ſpe juvene, magna eruditionis copia, nec minori diligentia, perſcriptam, jubente Reverendiſſimo Patre Fr. Thoma Maria Mamachio Ord. Præd. S. P. A. M. accuratiſſime legi. In ea autem legenda, non modo nihil offendi, quod orthodoxæ Fidei decretis, rectæque morum inſtitutioni adverſetur, ſed etiam plura deprehendi, quæ & Juris Cæſarei ſtudioſis utilia, & ad Catholicæ Religionis hoſtes, qui Juſtiniani auctoritate abutuntur, refellendos opportuna fore confido. Hinc ipſam publica luce digniſſimam cenſeo. Dabam Romæ in Coenobio Sanctæ Mariæ ſuper Minervam Nonis Aprilis an. MDCCLXXXIII.

Fr. Thomas Maria Soldatus Ord. Præd. Sac. Theol. Magiſter, ejuſdemque in Collegio Germanico-Hungarico Profeſſore.

NUmquam juſſis Rmi Patris Magiſtri Sac. Palatii Apoſtolici libentius parui, quam ut de opere cui titulus eſt = *De Rebus Geſtis Juſtiniani Magni, Auctore Philippo Invernizi* = meum feram Judicium. Tantum enim abeſt ut aliquid deprehenderim noſtræ Catholicæ Fidei, & bonis moribus contrarium, ut admiratus ſim ſummam clariſſimi Auctoris eruditionem. Quidquid ad Juſtiniani vitam pertinet ſummo ſtudio collegit, & miro ordine diſpoſuit. Laudanda omnia ſunt, ſed laudabilior profecto eſt liber octavus = *De legum collectione atque emendatione, item Digeſtis, Codice, Inſtitutionibus, & Novellis* = quippe quia omnes dirimit controverſias hac in materia excitatas. Si igitur aliud haud erit judicium ejus, cujus auctoritas hac in re eſt, cenſeo dignum opus eſſe, quod typis citiſſime committatur.

Ex meis ædibus Pridie Idus Martii A. C. 1783.
Franciſcus Mazzei in Romana Curia Advocatus.

JUbente Rmo Patre M. S. P. A. legi Librum a Philippo Invernizi ſcriptum, cui titulus = *De Rebus Geſtis Juſtiniani Magni* = nihil in eo a fide abſonum aut bonis moribus adverſum reperi, omnia contra ad hiſtoriæ fidem exacta, diligenterque ab auctore collecta admiratus ſum. Futurum itaque hunc librum arbitror & rerum Chriſtianarum & legum cultoribus apprime utilem.

Dabam ex Collegio Romano Nonis Apr. A. C. 1783.

Ferdinandus Giovannucci H. E. Profeſſor.

I M.

IMPRIMATUR.

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Magiſtro Sacri Palatii Apoſtolici.

F. A. Marc. ab Immac. Conc. Patr. Conſtant. Epiſc. Montis-Alti, ac Viceſgerens.

Digitized by Google

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Maria Mamacchius Ordinis Prædicatorum Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

Digitized by Google

VITA JUSTINIANI MAGNI

LIBER I.

De Patria, Parentibus, Ortu, Educatione, & Doctrina Juſtiniani.

FLavius Anicius Juſtinianus Amalo, & Fl. Decio Coſſ. natus eſt. (1) Ut autem de ejus genere, ac parentum nomine, ſic de patria diſputatur; tamque longe diverſæ inter ſe ſunt ſcriptorum opiniones, ut nihil ſtatui pro certo poſſe videatur. Utrum enim *in Tauresio* oppido, an in *Bederiana* ci-

1 Goltzium ſum ſequutus in tanta Faſtorum diſcrepantia. Zeno hoc anno imperabat, qui erat Æ. V. 484. conſtat enim ex Zonara & Cedreno, tunc evectum ad Imperium fuiſſe Juſtinianum, cum eſſet annos natus 44. Æ. V. 527.

vitate natus ſit: & an Illyricus ſive Thrax fuerit, veterum auctoritate non definitur, quoniam utrumque tradiderunt. (2) Erat namque Thraciæ oppidum Tauresium, quod cum jam Imperator Juſtinianus muris ac turribus muniiſſet, urbem *Quadriturritam* appellavit, juxtaque eam Primam Juſtinianeam ædificavit; Bederia autem urbs in Illyrico fuit, quam redditam frequentiorem ac nobiliorem, pariter Juſtinianeam nuncupavit. Id unum in tanta obſcuritate rerum certum eſt, urbem illam patriam fuiſſe Juſtiniani, quæ tandem Juſtinianea Prima vocata eſt. (3) Ac licet viri docti exiſtimarint, Bederiam ipſam dictam Tauresium antiquitus fuiſſe: eamdemque urbem nunc Thraciæ ob vicinitatem, nunc Illyrico a ſcriptoribus adſignatam (4); ſatius tamen puto

2 Juſtinianum Tauresii natum eſſe Procopius narrat Lib. IV. de Ædificiis, Agathias Bederiæ Lib. V.. Atqui talis eſt de Juſtino avunculo dubitatio, qui certe fuit nepotis Juſtiniani popularis. Thracem eum Pomponius Lætus, Chronicon Alexandrinum, Auctor de Origine Urbis Cpolis, Nicephorus Lib. XVII. cap. 1. nuncuparunt: Illyricum autem Arcana Hiſtoria cap. 7., Theodorus Lector Lib. II., Theophanes, Anaſtaſius Hiſtor. Eccl. in Juſtino, Hiſtoria Miſcella Lib. XV. Zonaras autem illorum opinionem adſpernatus, a quibus Thrax dicebatur, eumdem natum in Illyria fuiſſe exiſtimavit. Quid plura? in Chronico Alexand. Bederia in Thracia, Tauresium ab Auctore Arcanæ Hiſtor. in Illyrico collocatur.

3 Vide Novell. 11. & 131.

4 Nicol. Aleman. ad Arcan. Hiſt. ait: Bederiana in limitaneis Illyriæ Thraciæque agris ſita erat. Porro ſæ-

to de re minime ſcitu neceſſaria ſilere, quam quærere fruſtra diutius.

II. Quod ſi a patriæ ſplendore ac magnitudine de civium nobilitate judicium ferre oporteret, nullius fortaſſe imaginis vir fuit pater Juſtiniani. At quoniam ſæpe accidit, ut homines nobiliſſimi, vel fortunæ curſu mutato, vel ut incommoda fugiant, ſeſe in parva oppida conferant ex magnis urbibus ad habitandum: nil profecto mirum, ſi nobilem patrem in ignobili civitate nactus eſſet Juſtinianus. Arnoldus Wion (5), & Cor-

ſæpiſſime fit, ut quæ urbes duarum provinciarum vel fines terminant vel circa fines ſunt, in ambarum partes aliquando ab auctoribus nullo diſcrimine admittantur: præſertim cum provinciarum partitiones non eædem apud omnes geographos & hiſtoricos ſint. Ita Beſoldus in Juſtino, & Carolus Du-Freſne in Hiſt. Byzant. cujus hæc ſunt verba: Fl. Anicius Juſtinus Bederianæ naſcitur urbe in ea Illyrici parte, quæ Thraciæ finitima eſt, ſita: unde promiſcue a ſcriptoribus Illyricianus & Thrax cognominatur. Hæc ille. Porro talis fuit de Horatii patria dubitatio, quoniam erat Lucaniam inter Apuliamque conſtituta. Servius ad illum Virgilii.

Punica regna vides:

Nihil intereſt, inquit, *utrum Tyrios an Sidonios dicat; nomina enim ut diximus de vicino mutuantur*. Achridam Nicephorus Gregora Lib. II. Hiſt. patriam fuiſſe Juſtiniani narravit: de qua re peculiaris extat libellus Domini de Anville, Hiſtoir. de l'Académ. Royal. des Inſcript. tom. XXXI. pag. 287., & Giphanius in Orat. de Imperat. Fl. Juſtiniano diſſeruit.

5 De Gradibus Anicianæ Familiæ Grad. 21.

& Cornelius Margarinus (6) Juſtinianum veteri ac nobili familiæ Aniciorum adſignarunt: putaruntque Juſtinum, ſuam hujus familiæ Sabatio ſororem nuptui tradidiſſe. Negat id Alemannus: qui natum ex ignobili parente Juſtinianum putavit. Cum autem ſoror eſſet Juſtini mater Juſtiniani, nunquam eo adduci potui, ut crederem, Juſtinum viro prorſus ignobili ac nullius ſpei dare nuptui ſororem voluiſſe. Fuerat namque Juſtinus in prima ſua adoleſcentia glebis ſubigendis exercitatus: ſed vix pubertatem egreſſus, eſt caſtra ſecutus, ſtatim primas obtinuit militiæ dignitates. (7) Itaque & nobilis, & dives factus, longe minorem ætate ſororem (id, quod ex ipſius Juſtiniani ætate cognoſcitur) homini quidem vel diviti ac nobili, vel ſpei ſummæ ſpondiſſe cenſeri poteſt; alicui ex Anicia gente non poteſt. Quis enim credet, neminem ex illis, qui aliquid de Juſtiniano ſcripſerunt, tantam ejus nobilitatem prorſus

6 In Juſtiniano Magno Aniciæ Familiæ reſtituto. Hi vero non ſolum Juſtinianum Aniciorum Familiæ attribuerunt; verum etiam D. Benedicti avum fuiſſe tradiderunt. In Epitome Chronicorum Caſſinenſium apud L. A. Muratori Rer. Italic. tom. 11. pag. 351., hæc leguntur: Hujus itaque Patris Benedicti avus Juſtinianus, pater Eupropius, Mater Abundantia, nutrix vero Cyrilla dictæ ſunt. Qua de re conſuli poteſt Mabillonius Annal. Bened. Lib. I. an. 480.

7 Theodorus Lector loc. cit. Pompon. Lætus a teneris annis primum cuſtodem ſuum, mox boum, poſtea lignarii cujuſdam inſtitorem fuiſſe Juſtinum narravit: denique annos XVI. natus cum militiæ nomen dediſſet, majora munera brevi fuiſſe conſequutum.

ſus non laudaſſe? Aut, ſi tam humilis fuiſſet pater Juſtiniani, id ne in Arcanis Procopius prætermiſiſſet? Etenim gens Anicia non modo erat vetuſtiſſima, ac nobiliſſima, ſed tantæ etiam auctoritatis, ut nec in oppido Thraciæ vel Illyrici commorari, nec novi hominis ſororem poſſet appetere. (8) Neque illa me ratio commovet, quod Juſtinus, ac Juſtinianus Anicii nuncupentur; cum fieri certe potuerit, ut hoc ſibi nomen, ſicut & Flavii, honoris gratia tantum adoptarint. Nam quod Beſoldus ſomniavit, Juſtinum nempe Patricium, Conſulem, ac Senatorem, Aniciæ gentis ſacra ſuſcepiſſe adoptione, ante illum nemo prodidit memoriæ.

III. Fuit ergo Sabatius pater Juſtiniani, matrem fuerunt Biglenizam, quod indubium non

 eſt.

---

8 Claudianns Aniciam gentem laudavit. Caſſiodor. Variar. Lib. X. epiſt. 2. Anicios, inquit, pæne principum pares ætas priſca progenuit. Floruit hac ætate hujus gentis vir doctus Anicius Manlius Torquatns Severinus Boethius, de quo Guill. Cave ſæc. Eutych. pagin. 495., Thomas Pope-Blount in Cenſura Celebrior. Auctor. pag. 317., Du-Pin Nouvell. Bibliotheq. des Auteur. Eccleſiaſtiq. tom. 4., & Jo. A. Fabric. Biblioth. Latin. Lib. III. cap. 15. Extant tom. 5. Concil. pag. 628. & 634. duæ epiſtolæ, quarum altera eſt Hormiſdæ Summi Pontificis ad Julianam Aniciam, altera Aniciæ ad Hormiſdam. De Aniciorum nobilitate vide Adamum Rupertum Obſerv. ad Hiſtor. Beſoldi cap. 15. συντομώτερον hujus gentis extat apud Reineſium Syntagm. Inſcript. Claſſ. 1. Inſcript. 39. Vide & Lambecinm Biblioth. Cæſar. Lib. III.

eſt. (9) De qua re cum ego ulterius quærendum non cenſeo, tum etiam de reliquis cognatis Juſtiniani non dicam: qui cum & multi, & fortes, & præſtantes viri fuiſſent, eorum opera in Imperii negotiis, belliſque difficillimis adminiſtrandis uſus eſt. Non enim multa de his veteres ſcripſerunt: neque ad noſtram ætatem omnia pervenerunt: & quæ pauca ſuperſunt, partim dubia ſunt, partim etiam obſcura. (10) Præteriri tamen non debet, nihil fære in hiſtoriis de Juſti-

9 Sic ex Theophilo illo, de quo in præfat. Rupertus ad Beſoldi Synopſim cap. 15., Ludewig in Juſtiniano, Heineccius Hiſtor. Juris Lib. 1. cap. 6. Notat tamen Alemannus Biglantiam ſeu Biglenizam, quam Procopius Lib. II. Belli Wandal. Juſtiniani ἀδελφὴν vocavit, reddi latine Vigilantiam. Ita Corippus in Laudibus Juſtini Lib. I.

Mater conſilii placidis Vigilantia veſtris
Semper ineſt oculis:

& poſt:

—— *Vigilantia mater.*

Giphanius dum hæc ſcribit, falſum ait: *Parentes quidem Juſtiniani a nullo ſcriptore, qui hodie extat, commemorantur.* Audi Petrum Luccarum, Riſtretto degli Annali di Rauſa Lib. I. Selemir dopo queſto (come ſi vede nell' Effemeridi di Doclea) preſe per moglie la Sorella d'Iſtok Barone Slavo, il quale avea per moglie Bigleniza, Sorella di Giuſtiniano, e madre di Giuſtino Imperatori Romani, i quali come ho veduto in un Diario in Bulgaria in lingua Slava, ſono chimati Upranda, che ſignifica Giuſtiniano o Giuſtino.

10 Adire potes Alemannum ad cap. 5. & 12., DuFreſne & Beſoldum loc. cit., I. G. Heineccium in Hiſtor. Jur. Rom., qui omnes σχήματα exhibuerunt.

Juſtiniani parentibus extare, unde aut de eorum honoribus, Juſtino aſſumpto ad Imperium, aut de obitu poſſit cognoſci. Quare eoſdem aut procul ab urbe vitam traxiſſe omnem putamus, aut immatura morte defeciſſe.

IV. Ut primum ex pueris Juſtinianus exceſſit, iis eſt litteris imbutus, quas bonæ indolis adoleſcentes facile aſſequuntur; e quibus animum ad graviorum artium ſtudia convertit. Adoleſcens eſt quidem ad urbem a Juſtino arceſſitus, tum ut viam honorum ingrederetur, tum ut bonis artibus erudiretur. Ita enim ſors Juſtini, ita ingenium Juſtiniani, ita ſpes utrorumque poſcebat. Quare licet caſtra ſub Juſtini diſciplina ſequeretur, non tamen domi artium ſtudia difficiliora intermittebat. Sed Anaſtaſio imperante ambo, ut narrat Zonaras, apud eumdem conjurationis crimine inſimulati, in ultimum vitæ diſcrimen ceciderunt, & in vincula conjecti invidia æmulorum, innocui nocentium pœnas exſolviſſent; ni, ſomniis Imperatore deterrito, bis divinitus fuiſſent liberati. Qua difficultate ſuperata, cum eſt otio Juſtinianus reſtitutus, tum brevi tantam eſt rerum humanarum, divinarumque doctrinam conſequutus, ut dici ab omnibus meruerit ſapientiſſimus Imperator. Nam & multos verſus ſcripſit, ac de divinis rebus quoſdam libros compoſuit, omni plenos genere doctrinarum. (11)

 Et

11 Cedrenus narrat in Magnæ Eccleſiæ inſtauratione Carmen a ſe compoſitum cantandum tradidiſſe. ψαλμῳδεῖν quod

Et ſane cum ad res divinas cognoſcendas inexhauſta aviditate impelleretur, longos habebat de his ſæpe ſermones, quos ad multam noctem una cum ſenioribus protrahebat. Juris etiam Legumque originem, vim variationem, eumdem bene percalluiſſe, quis dubitat? Etenim ſine magna Legum Romanarum ſcientia nec Præturam, nec Conſulatum, nec alia publica munera exercuiſſet, nec jus dixiſſet tanta aſſiduitate ac voluptate Impe-

---

quoque compoſuit, de qua Theophanes: *Hoc etiam anno*, inquit, *Juſtinianus modulum hunc Unigenitus Filius & Dei Verbum a ſe compoſitum Eccleſiis decantandum tradidit*. In Horologio Græcorum ſacer Hymnus extat ſcriptus a Juſtiniano, qui inter ſacrificandum cantabatur. Hunc exhibet Contius in Vita Juſtiniani. Scripſit quoque in Origenem Librum ſane doctum, qui extat tom. VI. Concil. Victor Tunnunenſis: Poſt Conſulatum, inquit, Beliſarii anno II. Juſtinianus Imp. libros de Incarnatione Dominica edidit. Iſidor. Hiſpalen. de Scriptor. Eccleſiaſt. Juſtinianus Imperator quoſdam libros de Incarnatione Domini edidit, quos etiam per diverſas miſit provincias. Condidit quoque & reſcriptum contra Synodum Illyricianam, & adverſus Affricanos Epiſcopos, in quo Tria Capitula contendit damnare. Hinc Summus Pontifex Joannes II. in epiſtola ad Juſtinianum, poſtquam ejus doctrinam commendaverat hæc addit: Liquet igitur, Imperator Glorioſiſſime, ut lectionis tenor & legatorum veſtrorum relatio patefecit, vos Apoſtolicis eruditionibus ſtudere: cum de Religionis Catholicæ Fide ea ſapitis, ea ſcripſiſtis, ea protuliſtis, ea populis fidelibus publicaſtis, quæ & Sedis Apoſtolicæ doctrina, & Sanctorum Patrum veneranda decernit auctoritas, & nos confirmamus in omnibus.

Imperator (12), nec univerſi juris emendationem tam feliciter perfeciſſet. Ii ergo omnes falluntur, qui corruptum Svidæ locum afferre non dubitant, ut rudem prorſus atque impertitum Juſtinianum oſtendant. Non enim ubi hæc ſunt, Svidas loquitur de Juſtiniano, ſed de avunculo ejuſdem Juſtino, qui fuit expers omnino litterarum. (13) Si enim aliter eſſet, omnis Svidæ ordo perverteretur, ac nulla foret de Juſtino in toto Svidæ libro commemoratio: denique Svidas, Svidas, inquam, qui magnorum hominum famam minuit ſemper, ac laceravit, laude affeciſſet nimia Juſtinianum. Cum enim apud Græcos homines adhuc ea fama maneret, non bene ipſum conſtanterque de religione ſenſiſſe: præter famam eumdem ὀρθοδοξότατον nuncupaſſet. Quare, ut ante dixi, aliqua indiget medela Svidæ locus; fide præſertim accedente Codicis Vaticani. Neque eſt magis probabilis illorum opinio, qui eumdem fuiſſe a Theophilo eruditum exi-

---

12 Procopius Lib. II. Bell. Gothor. Perpetuo, ait, ſine cuſtodibus deſidet ad multam noctem in muſæo cum ſenioribus quibuſque Sacerdotibus attentiſſimo ſtudio arcana Chriſtianorum dogmata inveſtigans. Cauſas vero audiviſſe legitur in Novel. 73., 9.., 115.

13 Svidas in Juſtiniano Ἰουστινιανὸς ὁ βασιλεὺς Ῥωμαίων ὀρθοδοξότατος. ἦν δὲ ἀμαθὴτος γραμμάτων, καὶ, τὸ δὴ λεγόμενον, ἀναλφάβητος: Legendus Ἰουστῖνος non vero Ἰουστινιάνος. Ita ad fidem Codicis Vaticani Beſoldus, Trivorius, Nat. Alexander, Pagius. Accedit quod Juſtinus vere fuerit ὀρθοδοξότατος; καὶ ἀναλφάβητος, ut ait Procop. Arcan. Hiſt. cap. 7. Vide Pagium ad A. C. 528. num. 2.

exiſtimarunt: quoniam id neque ex vetuſtis monumentis eruitur, neque in annalibus ſcriptum reperitur.

V. Jam in bellis Juſtinianus talis extitit, quales & ſtrenui milites & ſummi Imperatores adoleſcentes fuerunt. Nam ſigna eques diu eſt ſequutus, nec Militiæ Magiſter factus eſt, niſi Juſtino imperante (14). Quoties autem ſteterit in hoſtes armatus, quoties prælium commiſerit, quoties tandem victoriam reportarit, ſtatui omnino non poteſt. Quanquam enim ſummus Imperator a Nicephoro (15) nuncupetur, eſſe tamen falſum videtur, quod narrat *Aimonius* (16): ab ipſo nempe exercitum in Perſas ductum, quibus victis, cæſiſque, ac Rege capto triumpharit. Scrinii etiam Præpoſitus, & Comes Domeſticorum eſt renunciatus, ut *Aimonius* teſtatur, atque ex Juſtiniani epi-

14 Procop. Lib. I. Bel. Perſ. Sittas & Beliſarius primæ lanuginis adoleſcentes ſatellites erant Juſtiniani Militiæ Magiſtri. Victor in Chronico: Cui Juſtino nepos Juſtinianus vocabulo fuit Candidati militia functus: & poſt: Juſtinianus nepos Juſtini Auguſti ex Candidato Magiſter Militum ordinarius conſtituitur. Ampliſſima ſemper fuit hæc dignitas, ita ut militum, & Civiles & Criminales cauſas cognoſcerent ac judicarent. Leg. II. Cod. Theodoſ. de Exhiben. & Tranſmitt. Reis Leg. 1. & 2. Cod. Juſtin. de Offic. Magiſtr. Milit. & leg. 1. tit. de Militibus. Sub his erant Duces, Præpoſiti, Tribuni, de quo & Codex Theodoſianus & Pancirolus in Notit. Dignit. Utriuſque Imperii.

15 Lib. XVII. cap. 7.

16 Lib. II. Hiſt. Francorum.

epiſtolis apparet (17). Geſſit deinde cum Valerio, ornatiſſimo & fortiſſimo viro, conſulatum (18), poſt quem fuit tandem Patricius ab avunculo Juſtino declaratus (19). Quæ quidem dignitas tam erat ampla, ut cum cæteris magnitudine honoris anteirent, veluti ipſorum Principum Patres eſſe Patricii videbantur. Nec aditus ulli ad hunc honorem lege Zenonis patebat, qui aut Conſul, aut Præfectus Prætorio vel Illyrici, aut Urbis Adminiſtrator, aut Magiſter Militum vel Officiorum antea non fuerat (20). Nam hoc tempore admodum ſenex Juſtinus, publicis privatiſque muneribus Juſtinianum præficiebat, ut Imperio, Reique publicæ adminiſtrandæ aſſueſceret. Quibus in muneribus cum incredibili fide, magnaque diligentia verſaretur, gratiam multorum inibat, ſummamque a cæteris laudem reportabat.

I. I.

---

17 Extat tom. V. Concil. pag. 610. epiſtola Juſtiniani ad Hormiſdam, cujus titulus eſt Juſtinianus Comes Hormiſdæ Papæ. Hormiſdas autem ſcribens ad Juſtinianum, Illuſtrem eumdem appellat: atque epiſtola ejuſdem 37. tom. V. Concil. pag. 618. inſcribitur ad Juſtinianum Domeſticorum Comitem.

18 Pomponius Lætus & Marcellinus Comes deſcribunt Juſtiniani Conſulatum.

19 Cyrillus Scythopolit.: Juſtinus Juſtinianum ex ſorore nepotem ſuo loco Imperatorem conſtituit, qui jam erat Patricius, Conſul, & Magiſter Militiæ.

20 Vide Caſſiodor. Variar. Lib. VI. cap. 2., Grutherum de Officiis Domus Auguſtæ Lib. I. cap. 11., & Lib. II. cap. 19.

LIBER II.

De Nuptiis Juſtiniani cum Theodora.

EAM nunc noſtri operis partem aggredimur, quæ & varietate annalium, & difficultate rerum ac magnitudine ferme inextricabilis videtur. Agendum eſt enim de nuptiis Juſtiniani cum Theodora, quæ & crudelis femina fuit, & ſuperbiſſima. Ac duo quidem ſunt veteres hiſtorici, qui de re hac pertractarunt: quorum eſt alter Aimonius, (1) alter Procopius Cæſarienſis. Narrat ille (2), Juſtinianum & Beliſarium cum eſſent admodum adoleſcenteis, ac etiam ſcelerum ſocietate conjuncti, quodam die lupanarium ingreſſos, duas ex

1 Floruit ſæc. Eccleſ. XI. Aimonius, de quo, præter Labbeum in Diatriba de Aimonio, & Cointium in Annalibus Francorum, I. A. Fabric. videri poteſt Biblioth. Latin. Med. & Inf. Latinit. in Aimonio.

2 Lib. 2. Hiſt. Franc.

ex Amazonum gente corpore merentes ſorores inveniſſe, quarum altera Antonia, altera Antonina vocabatur. Erat tum, ut addit ipſe, Scrinii Præpoſitus Juſtinianus, & Equitum Præfectus Beliſarius: quas uti viderunt eximia corporis forma excellere, ille Antoniam ſibi, Beliſarius Antoninam coemit. Cum autem quadam die extra urbem cauſa valetudinis ruſticarent, aquilam a ſolis radiis Antonia, amicum defendentem, conſpexit. Quare eumdem eſt lacrymis deprecata, ut ſi ad Imperium quandoque perveniret (ipſa namque cognoverat aquilam omen eſſe ad Imperium) duceret ſe in uxorem: quod mutatis annulis Juſtinianus ſpopondit. Nec, ſpe honorum, Beliſarius dubitavit, quin Antoniæ ſororem Antoninam ſuam ſtatim conjugem declararet. Duxit interea exercitum in Perſas Juſtinianus: quibus victis, fuſiſque, ac rege capto, triumphavit. Antonia igitur, aditu ſibi facto ad eumdem, corruptiſque vigilibus, ſic remotis arbitris cauſam ſuam dixit, ne ſponſionis factæ, ne datæ fidei obliviſceretur: ſententiis etiam Sacri Codicis uſa, annuloque demonſtrato, quem ipſe velut ſuæ fidei pignus commodaverat; ut ſtatim ducere eam uxorem non dubitarit.

II. Quis eſt autem, qui non intelligat, nullam eſſe in re hac præſtandam fidem Aimonio? Non modo plures poſt ætates floruit Aimonius, ſed etiam horum multa falſa ſunt, pleraque temere atque inconſulto prolata. Non dicam ego, fieri nullo pacto potuiſſe, ut quæ meretrix mulier publice aliorum libidini ac voluptati inſer-

vie-

viebat, tam bene ſuam cauſam defenderet, quaſi Cornelia eſſet Gracchorum matre eloquentior: nec id, quod de aquila ſcripſit, vere fabulam eſſe commemorabo. At quid ego dicam de lupanaribus tam impudenter a Juſtiniano, avunculo inſpectante, frequentatis? Adeone perditæ mentis erant Juſtinianus ac Beliſarius, adeo, inquam, etiam ab honeſtatis ſimulatione relicti, ut palam ea peccare voluerint, quæ clam fieri ſolent ab audacioribus? (3) Non enim antiquæ leges, nec vetus illa conſuetudo vigebat, qua juvenum inſania a ſeverioribus etiam permittebatur; ſed lege, moribus, religione mutata, omnem ſpem honorum ac dignitatum præcidebat. (4) Non Antonia deinceps uxor Juſtiniani dicta eſt, nec ſoror Theodoræ fuit uxor Beliſarii. Soror namque Theodoræ, nomine Acometa, Tzitæ viro ſtrenuo, Armeniæque Præfecto nupta eſt. (5) Quid de expeditione Juſtiniani adverſus Perſas, Juſtino jubente? Cuius quidem rei nullum extat, præter illud Aimonii, teſtimonium: eoque minus & victoria & triumphus eſt credibilis, quanto magis certum eſt, nec Procopium nec Agathiam hac de re Juſtinianum commendaſſe.

III. Procopius vero natam ex Urſario Theodo-

3 *Scortari more modeſto*, dixit Plautus in Bacchide Act. IV. ſcen. 8.

4 De hac re Deo O. M. favente late dicemus in Hiſtoria Juris Criminalis, quam properamus.

5 Theophanes, & Cedrenus in Juſtiniano.

doram ſcribit (6), ſcenæ & proſtibulo una cum ſorore deſtinatam; in quo ludicro exercitio, cum fere omnia Imperii theatra emenſa eſſet, denique in amicitiam Juſtiniani perveniſſe. Ab hoc fuiſſe Theodoram ingentibus divitiis cumulatam, nobilem & patriciam a Juſtino declaratam; atque Euphemia Juſtini conjuge mortua, que his appetitis a Juſtiniano nuptiis adverſabatur, ab avunculo impetraſſe, ut meretriciam feminam, & quæ ludicram artem exercuerat, duceret in uxorem. Captat hic Procopius occaſionem, ut Juſtino graviſſimo atque ornatiſſimo Imperatori ſuccenſeat, quod leges veteres ac neceſſarias ſuſtulerit, aditum ad improbata connubia patefecerit, ſpem improbis feminis præbuerit nuptiarum nobiliorum. Sic tandem narrat avaram fuiſſe ſuperbam, crudelem, intemperantem, ut nulla aut magis impudica, aut ſceleſtior femina extiterit Theodora. (7) Quæ quidem omnia cum nunc ego lubenter prætereo (alibi namque dicemus opportunius de Procopii fide, ingenio, auctoritate) tum illud reticendum non eſt, haud equidem fuiſſe neceſſarium, ut de nuptiis Senatorum Juſtinus legem veterem abroga-

6 Arcan. Hiſtor. cap. 9. & 10.

7 Confer cap. 5., 15., & 17. Arc. Hiſt. Contra ſcenicas mulieres Juſtinianus ſeveriſſimam legem emiſit, quæ eſt inter Novellas LI. Auctor Originis Urbis Cpolit. ex Paphlagonia miſeram adventaſſe narravit, & ſibi in Porticibus Templi D. Pantaleemonis victum lanificio comparaſſe. Joan. Frid. Juglerus librum ſcripſit de Eruditione Theodoræ.

garet, cum jam eſſet Theodora, ut narrat ipſe, Patricia ac nobiliſſima.

IV. Theodora itaque una cum marito ad Imperium evecta, ſtatim hæreticorum hominum patrocinium tutelamque ſuſcepit. Atque ita ſemper Anthimo, occulto hæretico favit, (8) ut eumdem ſedem Byzantii invadentem adjuverit, ac ne ab eadem expelleretur, minis, precibus, lacrymis obſtiterit Agapeto (9). Erat quidem Anthimus Synodi Chalcedonenſis adverſarius, fueratque urbium Polemoniaci Ponti Metropolitanus, tandem, mortuo Epiphanio, ingenti uſus veræ

8 Anthemius quoque dicitur, de quo vide Manſium in ſupplemento Conciliorum.

9 Liberatus in Breviar. cap. 20. ait Anthimum latenter Chalcedonenſe Concilium non ſuſcepiſſe. Hic ad Juſtinianum de Divinis Rebus librum ſcripſit, qui, cum bene de religione diſſereret, ab Univerſali Concilio VI. Act. X. commendatus eſt. Marcellinus Comes Indict. XIII. *Epiphanius Epiſcopus Regiæ Urbis ante adventum Romani Præſulis moritur, cujus Epiſcopatum contra Canones Anthimus, Trapezuntena Eccleſia relicta invadit.* Hæc etiam Zonaras in Juſtin. Liberatus cap. 21.: Agapetus noluit Anthimum ad ſalutandum admittere, deinde ſede ſua abire juſſit. Auguſta vero clam promittente munera multa, & rurſus Papæ minas intentante, in hoc Papa perſtitit, ne ejus audiret petitionem. Anthimus vero videns ſe ſede pulſum, pallium, quod habuit, Imperatori reddidit & diſceſſit, ubi eum Auguſta ſuo patrocinio tueretur. Suos factioſos homines habebat Theodora, teſte Victore Tununen.: A Theodoræ factione, inquit, Auguſtæ, quæ occulta eſſe ſynodi Chalcedonenſis nunquam deſtitit inimica, inſidiæ præparantur. Confer Liberat. cap. 22.

veræ fidei ſimulatione, ſedem Byzantinam occuparat. Sed damnatum Anthimum ab Agapeto, atque etiam, cum turbas moliretur, expulſum civitate a Juſtiniano (hic enim licet fuiſſet initio obverſatus Agapeto, poſtea tamen paruit legibus ejuſdem) (10) ſibi eſſe omni pacto revocandum

B exi-

10 Lege omnino Novellam XLII. Nicolaus in epiſtola IX. ad Michaelem Imperatorem: *Ad extremum*, inquit, *quid mirum, ſi pro dejectione Photii nobis mineris? Quando anteceſſores tui Principes pro Anthimo prædeceſſores meos uſque ad confeſſionem perſequendo perduxerint? Verumtamen licet diutiſſime laboraverint, ſævierint, & tot diras adverſus eos afflictiones commoverint, ſententiam tamen eorum mutare, vel Anthimum revocare nullo modo potuerunt: qui licet tarde, quandoque tamen & ipſum Anthimum, & ſenſus ejus cum Sede Apoſtolica Sapientes deteſtati ſunt, & Mennam virum ſanctum . . . recipientes veneranter amplexi ſunt*. Dicam breviter, quid de hac epiſtola ſentiam. Licet enim videatur Nicolaus de Theodoræ & Juſtiniani patrocinio erga Anthimum ſimul loqui, ipſum tamen ſolum de Theodora intelligendum, ducor conjectura ad ſuſpicandum. Juſtinianus enim Anthimum ab Agapeto damnatum, ſtatim lege dejecit e civitate. Deinde hanc ipſam legem Mennæ tranſmiſit, cui plura conceſſit roganti, ut ex Novellis apparet. Tandem eidem favit Concilium habenti. Confer Synodum Mennæ, ejuſdemque orationes ad Juſtinianum Tom. V. Conciliorum. Quod ſi Mennam poſt multos annos ſuſcepiſſet Juſtinianus, ut inquit Nicolaus, in tanto honore eumdem, vix Anthimo expulſo, profecto non habuiſſet. Cæterum hac de re viderint alii. Paulus Diaconus auctor eſt, adeo fuiſſe Agapeto Juſtinianum obnoxium, ut cum indicaſſet Summus Pontifex eidem, non bene ipſum in aliqua re

exiſtimavit. Quare cum & Agapitus & Silverius, & Vigilius, apud quos ſæpe inſtabat Theodora,

---

re de fide ſentire, ſuam ſententiam ſtatim commutarit. Liberatus Anthimi depoſitionem cum occulta ſolius Theodoræ averſione factam fuiſſe narravit. *Romanus Pontifex Agapetus*, ait Theophanes, *Cpolim hoc anno* (DXXXVI.) *profectus, adverſus impium Severum, & Halicarnaſſi antiſtitem Julianum, & reliquos alios Theopaſchitas Concilium convocavit. Ex his Anthimus Cpolitanus Epiſcopus, tamquam eorum ſententiæ particeps, cum ſedem menſibus decem tenuiſſet, munere abdicatus, & depulſus eſt.* Et Patres Synodi Mennæ Act. IV.: *At magno Deo, & Salvatore N. J. C. non permittente talia* (*Anthimi flagitia*) *uſque in finem procedere, miſſus eſt huic Regiæ Urbi ſecundum ipſius deitatem Agapetus ſanctæ, & beatæ memoriæ Papa beatiſſimus: qui ſtatim ſacris canonibus manum cum Deo porrexit, & ipſum de ſede ſibi non convenìente depulit.* Zonaras tandem, & auctor vitæ Agapeti inter illas Anaſtaſii (hæc enim opinio prævaluit de Libro Pontificali, ut hujus multi fuerint auctores: Confer Scheleſtratem de antiquis Rom. Pontif. Catalogis, Blanchinium ad eaſdem, & L. A. Muratori in Præfat. ad Anaſtaſium Tom. III. Rer. Italic.) quin etiam Diaconus in Chronico Neapolitano, & Hiſtoria Miſcella narrat Juſtinianum minis obſtitiſſe Agapeto, ne Anthimum damnaret. Vereor autem quammaxime, ne hi quidem omnes, ea quæ geſſerat Theodora, liberaliter Juſtiniano attribuerint: cum auctor vitæ Agapeti præſertim, qui his omnibus præivit, multa alia adnotaverit, quæ falſa omnino ſunt. Ait namque Theodatum regem Gothorum, pacem impetraſſe a Juſtiniano; cum Procopius, Agathias, Marcellinus, Jornandes, Theophanes, Liberatus contrarium tradiderint. Vittigem præterea primum cum Beliſario pugnaſſe; cum pro certo conſtet Theodahatum ſæpe victum cum magnis copiis

dora, ut Anthimum reſtituerent, conſtantiſſime ſemper recuſaſſent: alterum minis tentavit, alterum, ſcripta mariti nomine epiſtola ad Beliſarium, qui erat tum in Italia, miſit in exilium (11), tandem in Vigilium crudeliter arma mo-

 vit,

copiis a Beliſario fuiſſe, atque a ſuis denique occiſum, cum veniſſet in ſimulationem proditionis. Denique captum Wittigem a Romanis fuiſſe, Comitem & Patricium renunciatum a Juſtiniano, atque in Perſarum fines ad vivendum traductum; cum a ſuis conſtet occiſum, quod nobilem virum Uraniam barbare crudeliterque trucidarat.

11 Paulus Diaconus de Geſtis Romanor. Lib. XVII. Beliſario, inquit, a Theodora Auguſta præceptio allata eſt, ut Papam Silverium convictum accuſatione falſorum teſtium in exilium truderet, eo quod Anthimum hæreticum Cpolitanum Epiſcopum revocare noluiſſet: quod Beliſarius licet nolens, nihil moratus effecit. Pulſus denique Papa Silverius ad Pontiam inſulam fuit, in qua & exulans obiit. Andreas Ratisbonenſis in Chronico in corpore hiſtorico Medii Ævi J. G. Eccardi tom. 1. pag. 1931. Wiliſarius, inquit, cum Romæ moraretur, Theodora Auguſta ei demandavit, ut Silverium Papam, falſorum teſtium accuſatione convictum truderet in exilium; eo quod Anthimum hæreticum Cpolitanum Epiſcopum, quem Agapitus Papa exſecrarat abſolvere noluiſſet. Quod Wiliſarius licet nolens, effecit, cumque ad Pontianam inſulam exiliavit, ubi & obiit. Multa in hac re & de Vigilio, & de Beliſarii uxore, ac de genere mortis Silverii feruntur, quæ facile falſa eſſe demonſtrantur. Bollandiani die 20. Menſ. Iunii nullam afferunt ſibi Juſtinianum, nec majorem in hoc negotio partem Theodoram aſſumpſiſſe; ſed omnia Antoninæ uxori Beliſarii attribuunt, quæ tunc erat cum marito in Italia, ut rem gratam faceret Auguſtæ. Baro-

vit, ut ad Michaelem Imperatorem Summus Pontifex Nicolaus teſtatur. (12)

V. Ego vero cenſeo Theodoram, tum cum uxor ducta eſt a Juſtiniano, non tam perditæ mentis fuiſſe, ſed aut ab Anthimo ipſo, aut improborum ſcelere corruptam. Adeo enim hoc tempore hæreticis Juſtinianus adverſabatur, ut auctor ipſe fuerit Juſtino legum nonnullarum in eoſ-

ronius ad A. C. DXL. num. 11.: *Sed primum*, inquit, *illud ex iis exploratum habeas, longe abfuiſſe, ut Juſtinianus Imperator in damnationem Silverii ob reſtitutionem Anthimi Theodoræ Auguſtæ conniverit: etenim ſi id accidiſſet nequaquam confirmationem rerum geſtarum per prædeceſſores Romanos Pontifices, potiſſimum vero Agapeti, qui depoſuerat Anthimum ipſe a Vigilio Papa dictis litteris per legationem Dominici exegiſſet. Unde ſatis perſpicuum poteſt verum eſſe, quod dictum eſt, ea omnia Theodoram clanculo cum Vigilio eſſe molitam per Beliſarium; Juſtinianum autem ab omni Vigilii cum Theodora conniventia prorſus immunem fuiſſe*. De Beliſarii pœnitentia vide, quæ diſputat Baronius ad A. C. 538. num. 10. In Menologio Baſilii die 26. Menſis Auguſti legitur, Agapiti ſucceſſorem, qui Silverius fuit omnium ſententia, Byzantium perveniſſe, atque ab Imperatore, quod Mennam ſede ſpoliarat, graviter vexatum.

12 Nicolaus I. in Epiſt. IX.: Porro Agapetus, *inquit*, Apoſtolicæ Sedis Præſul Anthimum Cpolitanum ſimiliter Antiſtitem condemnavit, & in loco ejus ordinavit Mennam, pro quo videlicet Anthimo Silverius & Vigilius Romani Pontifices ab Auguſta Theodora multa incommoda, ſed & diſcrimina ſunt perpeſſi: ſed ad reſtitutionem ejus nullatenus inclinati. Id quoque narrat Auctor vitæ Vigilii inter illas Anaſtaſii, & Regino Monachus: de quo præter Trithemium, vide Piſtorium in Præfat. ad Res Germanicas Tom. I.

eoſdem. Ac contra certum eſt eadem cum Anthemio ſenſiſſe Theodoram. Nam ſtetiſſe ab illorum parte, qui unam in Chriſto naturam affirmabant, Evagrius, ſcribit (13), & fuiſſe Chalcedonenſis Synodi inimicam, prodidit Theophanes; tantaque ſuam obſtinatione opinionem tenebat, ut nec ab ea precibus abſtrahi, nec potuerit minis revocari. Etenim cum ad Urbem Summus Pontifex Agapetus pervenit, ut Gothorum Regi Theodato pacem impetraret, Theodoram, cum qua Anthemii cauſa longos habuit ſæpe ſermones, hæreticam invenit: cui licet ſæpe multa, ut reſipiſceret, rogando & ſuadendo, ſuam etiam auctoritatem interponendo, eſſet loquutus; ipſa tamen maluit in ſua opinione permanere, quam victas, ut ajunt, manus tradere veritati (14). Quare conſtans in hæreſi, atque in Anthimi patrocinio perſeverans, a Vigilio damnata eſt, atque ab Eccleſia interdicta. (15)

VI. Quæri autem hoc in loco ſolet, num perditis Theodoræ moribus, exemploque Juſtinianus, bene inſtitutam vitæ ſuæ rationem commutarit. (16) Qua in re ſic arbitror reſpondendum, ut nec verbis nec exemplo apud ipſum

13 Hiſtor. Eccleſ. cap. 10.

14 Victor Tununenſis.

15 D. Gregorius M. Lib. 2. Epiſt. 51. *Recordandæ memoriæ Vigilius, in Urbe regia conſtitutus, contra Theodoram tunc Auguſtam damnationis promulgavit ſententiam.*

16 Vide Beneinum & Somnierum in Notis ad Anaſtaſ. Biblioth.

valuerit Theodora. Quin etiam hæc geſſit morem ſemper eidem virtutis ſimulatione. Etenim ſæpe ingenti pecunia pauperum hoſpitia ac monaſteria donavit (17), templa nonnulla ædificavit (18), ſplendida dona Eccleſiis diſtribuit, aliaque egit frequenter, quæ eidem piiſſimæ nomen, religioſiſſimæque Auguſtæ pepererunt. Atque hinc etiam Manaſſes prodidit memoriæ, eadem ſtudia coluiſſe Theodoram ac Juſtinianum, eademque poſteris munificentiæ ſuæ trophæa reliquiſſe. (19) Quæ ſi perpenderem ſedulo ac paullo diligentius examinarem, intelligeret certe unuſquiſque, non alia ratione motam, talem ſe præbuiſſe Theodoram, niſi ut morem gereret marito,

17 Victor Tununen.

18 Joan. Malala in Chronographia, Anonymus in Origin. Cpolit.

19 Conſtantinus Manaſſes in Compendio Chronico: *Erat, inquit, Juſtiniano Theodora matrimonio conjuncta, iiſdem addicta cum marito ſtudiis, iiſdem prædicta moribus; nimirum magnificentiſſima. Hæc a fundamentis templum Diſcipulis Chriſti condidit &c.* Joan. Malala: *Religioſiſſima Theodora, inquit, urbem eamdem (Antiochiam) multis donavit: Ædem etiam ſplendidiſſimam extruxit Michaeli Archangelo ſacram: Anatolii etiam, quam vocant Baſilicam, condidit, columnis ex eo Cpoli tranſmiſſis.* Eadem Theodora Auguſta pretioſiſſimam Crucis effigiem ex margaritis elaboratam Hieroſolymas miſit. Confer & Nicephorum. Ab Oecumenicis Synodis Quinta & Septima, hæc Act. III., illa Act. VII. *piæ recordationis* Auguſta nuncupatur, quam *εὐσεβεστάτην* quoque Theophilus §. ult. Inſtit. de Uſucap. appellavit.

rito, eique ſe ſimilem eſſe demonſtraret. (20)

VII. At paucis quidem menſibus poſt damnationem Theodora mortua eſt. (21) Num erroribus dimiſſis, an in hæreſi obſtinata deceſſerit, quærendum non cenſeo. Victor Tununenſis vitam prodigioſe amiſiſſe, auctor eſt: nec ullum extat indicium, ex quo liceat ſuſpicari, tandem vitæ ſuæ illam pœnituiſſe. Cæterum Theophanes ac Zonaras pie mortuam Theodoram narrarunt. Potuit quidem ipſa, metu mortis perculſa, mentem mutare cum gravi morbo laborans, brevi ſe morituram cognovit. Non enim dum morimur, ideæ rerum eadem ratione recurrunt, ceu ſeſe nobis, florente valetudine, obtulerunt; ſed fiunt ſimplices, & abſque fuco ludunt, apparentque. Atque utinam id poſſem demonſtrare!

 Non

20 Reprehenditur Juſtinianus, quod ſuam ipſe conjugem participem ſumpſerit conſilii in condenda Novell. VIII. J. G. Heinecc. in Defenſ. Jur. Rom. jure credidit id egiſſe Juſtinianum, cum doctiſſima eſſet Theodora, de cujus ſumma eruditione teſtatur Procopius in hiſtoria Belli Perſici Lib. I. Narrat Victor, Theodoram hæreticam Edictum propoſuiſſe, in quo præcepit, ut celebre illud unum in Trinitate paſſum ἐντελῶς, ὀ γὰρ ὂν κατὰ τι intelligeretur.

21 Anno C. 548. Juſtiniani 23., ut Procop. Lib. II. Bell. Perſ., & Lib. II. Bell. Goth., Zonaras, Cedrenus in Juſtin. Victor Tununenſis: Theodora, ait, Chalcedonenſis ſynodi inimica, cancri plaga corpore toto perſuſa, vitam prodigioſe finivit. Theophanes: Eodem anno menſe Junio Indict. XI. Imperatrix Theodora cum pietate obdormivit. Idem narrat Cedrenus ad annum XXI. Juſtiniani.

Non enim famam ejus ſolummodo, quam perdidit flagitioſe vivendo, reſtituerem; ſed maximas quoque laudes tribuerem Juſtiniano: cujus domeſtico exemplo, optimaque vitæ conſuetudine, a perditis opinionibus ad veterem patrum religionem traductam putarem. Mortua eſt Theodora poſt Conſulatum Baſilii V. C. anno octavo, nulla quidem prole relicta (22): qua tandem mortua omni fuerunt ſanctiſſimi viri exilii & ærumnarum metu liberati (23), nec quæſtiones illæ extiterunt, quas cum boni timerent, improbi vehementer expectabant.

LI-

---

22 In Arcana Hiſtor. filius Juſtiniano, filia Theodoræ naturalis adſignatur. Nulla in hiſtoriis mentio reperitur filiorum Juſtiniani: Imo Cyrillus Scythopolitanus in vita S. Sabæ narrat, divinum hominem a Theodora rogatum, ut prolem a Deo ipſi ſuis precibus impetraret. Conſtantin. Manaſſes. *Qui talibus*, inquit, *abundabat dotibus Imperator nullam ſobolem maſculam, nullam femineam, quæ ipſi ſuccederet habebat: quapropter exceſſurus, in natum ex ſorore Juſtinum conjectis oculis, eum Imperatorem deſignat.*

23 Summus Pontifex Pelagius in Epiſtola ad Childebertum Regem: A Tranſitu divæ memoriæ Theodoræ Auguſtæ nullas de fide quæſtiones Eccleſia Dei in partibus Orientis Deo miſerante formidat. Et poſt: Vivente Auguſta, quidquid in Eccleſiaſticis cauſis movebatur ſuſpectum habuimus.

LIBER III.

De Adoptione Juſtiniani in familiam Juſtini, & de Initiis Imperii.

DUM magna ſidei, prudentiæ, fortitudinis, integritatis, virtutum denique omnium, cum in publicis, tum in privatis muneribus dabat ſpecimina Juſtinianus, jam ætate gravis, atque impar factus oneri Juſtinus Reipublicæ adminiſtrandæ, de adjutore ſibi & ſucceſſore eligendo cogitabat. Nemo aderat præter nepotem Juſtinianum, qui ejus vota poſſet implere; quique tam bene fuiſſet per omnem ætatem ad Imperium gubernandum, reſque publicas adminiſtrandas inſtitutus. Illum enim ad urbem arceſſiverat, ut bonis artibus erudiretur: illum publicis negotiis præpoſuerat, ut Imperio adminiſtrando aſſueſceret: illum denique ſemper apud ſe retinuerat, ut, cum eſſet in ſpem Imperii natus & altus, in tam difficili ludo optimo

ſuo exemplo, & converſatione proficeret. Quare, univerſo Senatu, & bonis omnibus approbantibus, (1) anno, qui Mavortio Coſ. ſignabatur (2), eumdem adoptavit, atque in Imperio ſocium adſcivit, menſeque Aprili diademate Imperatorem una cum conjuge Theodora declaravit. (3) Neque tamen diu poſtea vixit Juſtinus;

1 Ita Cyrill. Scythopolitan. in Vita S. Sabæ cap. 8., Marcellinus Comes, Chronic. Paſchale ad Olymp. CCCXXVI., Joannes Malala in Chronograph., Nicephor. Lib. 17. cap. 7. Quare, ut alias, ita hoc in loco errat Victor Tununenſis: qui, Juſtinianum ſupplicante Senatu ab Juſtino invito fuiſſe adoptatum, narravit.

2 Anno C. 527., quo fuit Coſ. Mavortius. Marcellin. Comes Kal. April., Victor Tununen.: *Philoreno & Probo; & Mavortio Coſſ. Juſtinus Imp. moritur*. Joann. Malala loc. cit., Chron. Paſchal. loc. cit. *Coronatus a religioſiſſimo Juſtino illius avunculo menſe Xantico, ſecundum Romanos Aprili, die prima, Indict. V., Æræ Antiochiæ Syriæ anno DLXXV., Coſ. præfato Mavortio Romano*. Theophanes die quarto menſis Aprilis ſcribit in fœſto Paſchali; cui & Zonaras, & Cedrenus adſtipulantur. Auctor Hiſtor. Miſcellæ Lib. 16. A. C. 521. imperium narrat Juſtinianum ſuſcepiſſe: *Anno*, inquit, *ab Incarnat. Dom. DXXI. Juſtinianus Romanorum ſolus auguſtalem adeptus eſt principatum*. Paulus Diaconus de Geſtis Roman. Lib. XVII., anno DXXIX.: Anno, inquit, ab Incarnat. Dom. quingenteſimo vigeſimo nono Juſtinianus, ſororis Juſtini filius, Romanorum Principum nonus ac quadrageſimus auguſtalem adeptus eſt principatum. Tandem Regino Monachus in Chron. an. 459.

3 Chron. Paſch. loc. cit. Anno VIII. cum menſibus IX., diebuſque V. Imperii religioſiſſimi Juſtini exacto

nus; nam recrudeſcente vulnere, quod acceperat pugnando, quatuor poſt menſes deceſſit. (4) Qua-

ſto cum illo imperavit piiſſimus Juſtinianus illius affinis, ingentis vir animi, ſupra quam vulgo ſolet, & cum conjuge Theodora renunciatus, coronatus eſt a religioſiſſimo Juſtino illius avunculo. Et Joan. Malala: Exacto imperantis Juſtini anno VIII., menſeque inſuper IX. Imperii ſocium ſibi ſumpſit diviniſſimum Juſtinianum una cum Theodora Auguſta, quem ſacratiſſimus avunculus ejus Mavortio Coſ. diademate inſignivit. Hinc erraſſe Theophanes videtur, dum ait, Juſtino mortuo conjugem Theodoram fuiſſe coronatam; falliturque Hotomanus hæc ſcribens: Duxiſſe illam (Theodoram) traditur anno Imperii ſui ſecundo.

4 Marcell. Comes: Anno Regiæ Urbis conditæ CXCVII. Juſtinus Imp. Juſtinianum ex ſorore ſua nepotem jamdudum a ſe nobiliſſimum deſignatum, participem quoque regni ſui ſucceſſoremque creavit Kal. April. Ipſe vero quarto ab hoc menſe vita deceſſit anno Imperii IX. menſe XI. Jornand. De Regnor. ac Tempor. ſucceſſ. cap. 14.: Hic quoque Imperator (Juſtinus) ante quartum menſem obitus ſui ſenectuti ſuæ conſulens & Reip. utilitatibus, Juſtinianum ex ſorore ſua nepotem conſortem regni ſucceſſoremque Imperii ordinans, rebus humanis exceſſit. Pompon. Lætus Hiſt. Rom. Comp. in Juſtino: Anno Imperii ejus nono Kal. April. Juſtinianum adoptavit, conſortem imperii fecit, quarto poſt menſe deceſſit. Idem Theophanes, Nicephorus, & Cedrenus. Cyrillus vero in Vita S. Sabæ, tres ſolummodo menſes poſtea vixiſſe Juſtinum refert. Quam quidem diſcrepantiam ex diebus nonnullis natam exiſtimo, cum tres menſes integros, & dies aliquos imperaſſet: quod Evagrius Lib. IV. cap. 9. ſcriptum reliquit. Si Zonaræ & Cedreno credendum eſt, annum ſuæ ætatis XLIV. agebat Juſtinianus; ſi autem RegiNoni Monacho XXXVIII., cum Imperator eſt renunciatus.

Quare ſummum honorem adeptus Juſtinianus, id ſibi propoſuit, ut Rempublicam univerſam partim hoſtium impetu collabentem defenderet, partim jam collapſam reſtitueret. (5)

II. Ac principio quidem multa in civitate emendavit, & Circenſium ludorum licentiam compreſſit: graves leges adverſus ſeditioſos, ac tumultuantes promulgavit, frequenteſque hominum cædem pœnis ſeveriſſimis coercuit. (6) Deinde adverſus Perſas, qui Imperii fines frequenter devaſtabant, Hypatium, virum Patricium ac nobiliſſimum miſit. (7) Multas tulit leges præterea in hæreticos & gentiles, quibus eos & templis ſpoliavit, & a publicis privatiſque muneribus removit, ac ne dicerent teſtimonium inter litigantes, prohibuit. Ad hæc præcepit, ne qui horum liber aut legeretur, aut tranſcribere-

5 Pompon. Lætus loc. cit. Juſtinianus reparando Imperio animum admovit. Paulus Diacon. loc. cit.: Qui (Juſtinianus) mox, ut imperialia jura ſuſcepit, ad reparationem Reipublicæ ſtatus animum intendit.

6 Chron. Paſch.: Qui quidem Imper. Juſtinianus Cpolitanæ civitatis ſtatum emendavit & compoſuit, emiſſis ſacris juſſionibus, quibus de ſeditioſis ac tumultus excitantibus, vel cædes facientibus pœnæ exigerentur, vetareturque, nequis ullum in poſterum occideret, vel lapidibus impeteret, ſed ut ſinguli in ſpectandis circenſibus, modeſte ſe gereret, imperabatur: quo facto magnum incuſſit terrorem, pace in omnibus provinciis ſtabilita. Armorum uſum non militibus prohibuit, & μαχαίρας μικρὰς tantum, ut inquit ipſe, quarum nullus in bellis uſus erat, vendi poſſe permiſit. Novella 85. De Armis.

7 Chron. Paſch.

retur, aut tandem retineretur. (8) Leges quarum nulla ſedes, numerus erat propemodum infinitus, contrahi paucos in libros juſſit: eique rei doctos viros, quos undique arceſſiverat, præfecit. Cognorat quoque plurimos, & nobilitate, & dignitate præſtantes viros, fœdis libidinibus contaminari; & ingenuos pueros ad ſtupri conſuetudinem adduci donis, muneribus, pollicitationibus. Horum igitur plurimos, quos notos ſceleris fama reddiderat, per omnes Imperii provincias conquiſivit, & gravi pœna multavit: ac ſeveris legibus cavit, ne hæc libidinum portenta impoſterum extarent. (9) Hinc caſtrari pueros prohibuit, metu infamiæ, mortis, ingenuitatis, (10) & Prætorem plebis creavit, qui de his libidinibus cognoſceret. (11) Qua quidem re tantam ſibi famam comparavit, quantam eidem, nec debellati hoſtes, nec captæ civitates, nec recuperatæ imperio provinciæ pepererunt. Inceſtas inſuper nuptias & jactura dotis, & amiſſione bonorum, & aliis pœnis graviſſimis interdi-

8 Adiſis Victorem Tununenſem & Cedrenum, item Novell. 37., 42. cap. 1., 45., 109., 129., 131. cap. 14., 144.

9 Multa de hac re extant apud Victorem Tununen., Michaelem Glycam Annal. Part. IV., & Cedrenum. Confer Novell. 77. & 141.

10 Nov. 142.

11 Id in Arcana tantum Hiſtoria legitur cap. 20. Eichelius, in Animadverſion. ad hanc hiſtoriam, falſum hoc eſſe contendit. Suam vero fidem huic rei præſtitit Limborchius in Hiſtoria Inquiſitionis Lib. 1..

dixit: (12) lenones ex Urbe turpiſſimos ejecit. (13) Curias civitatum reſtituit: (14) funerum, ἐργαστηρίων, ſepulchrorum ordinem, numerum, commoditatem adauxit; præcepitque potiſſimum, ut decoro ritu nobiles ac plebei publicis ad funus expenſis ducerentur (15).

III. Nulla tamen in re tantam adhibuit curam diligentiamque, quantam in judicum ac magiſtruum jure, officiis, poteſtate definienda, & provinciarum adminiſtratione emendanda. (16) Cauſarum enim atque appellationum ordinem declaravit, judices dato munere conſtitui prohibuit: quorum injuſtitiam legibus repreſſit, avaritiam pœnæ metu refrenavit. Neque vero defuit, quin templa magnificentiſſima, & publica ædificia, quæ urbibus decori ſunt & majeſtati, omni celeritate & ſplendore conficienda mandaret: maximeque curavit, ut Juſtini memoria, a quo omnia ipſe repetebat, publicis etiam monumentis firmaretur. Itaque cum multa ædificia per omne Imperium extruxit, tum in Illyrico grandem urbem condidit, quam de avunculi ſui nomine Juſtinopolim nuncupavit (17).

IV. Deo autem favente imperium ſuſcepiſſe Juſtinianus viſus eſt; cum multi & opibus, & no-

12 Nov. 12. cap. 1., & Nov. 154.
13 Nov. 14.
14 Nov. 38., 43.
15 Nov. 59., 60.
16 Id tot leges de magiſtratibus latæ demonſtrant, quarum ſeriem, ut nimis longam, non exhibemus.
17 Procop. Lib. IV. de Ædif. Juſtin.

nobilitate, & doctrina illuſtres viri, Chriſti fidem, abjecta ſuperſtitione, ſuſceperint. Gretas enim Rex Herulorum, & Gordas Hunnorum Regulus, Boſphoro vicinus, & pacem a Juſtiniano obtinuerunt, & Chriſtianam fidem ſuſceperunt, (18) quorum alter cum frangi deorum ſimulacra, diſperdique mandaſſet, jamque infandi cultus templa incenderentur, a ſuis regno ſpoliatus occiſus eſt. David Rex Auximatarum Indorum cum Judæis Homeritis certaturus, Chriſtianorum Deo vovit, ejus ſe fidem, & ſacra ſuſcepturum, ſi de hoſtibus victoriam reportaſſet. Victis itaque fugatiſque Homeritis, & Damno rege capto, veteres nefarios ritus & ſuperſtitiones condemnavit. Quin hujus exemplo & Auximates, & alii Indiarum populi, ad manſuetudinem & humanitatem eruditi, Chriſtianæ fidei myſteriis ſunt imbuti, & cœleſti lavacro expiati. Cum vero David de hac re certum feciſſet Juſtinianum, cujus jam fama pietatis & magnitudinis in ultimas Indiæ regiones penetraverat, miſit hic quamcitiſſime eidem Sacerdotes religioſiſſimos, & cum aliis donis ſuaque amicitia ſacram ſuppellectilem. (19) Celebris quoque philoſophus Evagrius, a Syneſio Pontifice perſuaſus Chriſti fidem eſt amplexatus: de quo eſt etiam proditum memoriæ, eo die, quo baptiſmum

18 Procop. Lib. II. Bell. Goth., Theophanes, Cedrenus.

19 Vide Nicephorum Lib. 17. cap. 32.

mum ſuſcepit, auri libras tercentas diſtribuiſſe (20).

V. Sed eventus felices, novaque utilia inventa ejus imperii gloriam auxerunt. Cœtus namque Porphyrius dictus, a quo jampridem multa navibus damna inferebantur, captus eſt, occiſuſque. (21) Multa Sanctorum hominum corpora, quæ hactenus latuerant, reperta: inter quæ Antonii, qui quidem cum primis ad habitandum ἔρημον ſe contulit. (22) Ratio tandem ex vermibus ſerici texendi eſt ad Romanos delata: quæ res & admirationi & utilitati fuit, cum in ſerico ab exteris comparando ingens auri copia erogaretur. (23) Addit his portentum Cedrenus de ca-

---

20 Cedrenus.

21 Zonaras.

22 Beda de Sex Ætatibus, & Procopius Lib. 1. de Ædificiis.

23 Zonaras: Juſtiniani temporibus, inquit, tela ſerica a Romanis texi cœpit, quæ prius a Perſicis mercatoribus tantum afferebantur, cum ignorarent quomodo fieret, neque ſcirent fila eſſe vermium. Cæterum duo Monachi, ex India Byzantium profecti, originem illius declararunt, polliciti ſe fœtum illorum vermium ova nimirum perexigua allaturos, & oſtenſuros Romanis, quemadmodum illa fovendo animata in vermes mutentur, & ſericum texant natura magiſtra uſi. Confer etiam excerpta ex Theophane Byzantio Vol. I. Hiſtor. Byzant., & Nicephorum Lib. XVII. cap. 32. Quid Sericum, quid Bombycum, quid veſtis Tramoſerica, Holoſerica, Subſerica ſignificet: qui nam primum uſi ſint veſtibus ſericis, ad quos pervenerint: qualis demum fuerit harum uſus apud Seres, Ægyptios, Hæbreos, Perſas, Græcos, Romanos, tandem in Eccleſia: quoniam heic locus non eſt, peculiari quidem libro

tane, qui interrogatus ab aliquo, qui vir eſſet ex præſentibus latro, avarus, libidinoſus, quæ mulier adultera aut meretrix, nonniſi eos, de quibus certo conſtaret, veluti ex compoſito indicabat. Quam quidem narrationem, non ſecus ac illam de veneris ſtatua, quæ olim fuit Byzantii ad fabulas amandamus: nec de cometa illo dicemus, a quo, cum multos dies refulſiſſet, & novos portendi eventus nonnulli crediderunt, & omnes, timore perculſi, colere impenſius pietatem inſtituerunt.

VI. Primum ſui imperii annum Juſtinianus & multis conſularibus ſparſionibus, & ludorum frequentia celebravit (24). Tres geſſit deinde conſulatus, quorum duo ſine collega, ultimum cum Paulino viro ornatiſſimo. Domus Auguſtæ officia deinde, & publica munera viris & doctis & gravibus commendavit, hominesque fortiſſimos honeſtiſſimoſque aut ad tutandos Imperii fines cum copiis, aut ad provincias gubernandas di-

 mi-

bro dicemus. Interim vide, quæ ſcripſerunt Guidus Panciroſus Rer. Memorab. Lib. II. tit. 24., Lipſius ad Tacitum, Petrus Faber Semeſtr. Lib. I. cap. 16., Salmaſius tum ad Tertullianum de Pallio, tum ad Vopiſcum in Aureliano Not. 27., 28., & 29., denique Iſaccus Caſaubonus ad Trebellium Pollionem Not. 22.

24 Chron. Paſch. Juſtinianus Imperator anno Imperii I. menſe ſecundum Romanos Januario tantam vim pecuniæ ſparſit, omnibuſque præbuit, quantam nullus alius Imperator in Conſulatu ſparſerat. Theophanes: Imperio Iuſtinianus potitus prima die Januarii munus in populum edidit, eamque largitus eſt pecuniarum vim, quam princeps ante eum nullus conſulatus nomine profuderit.

miſit. Conſules etiam cum a patria poteſtate liberaſet, tum etiam prohibuit, ne juſtum excederent modum in ludis edendis. (25) Senatum tandem recenſuit, quem ſpectatæ fidei hominibus ſupplevit: quorum opera & conſilio maxime in rebus trepidis, cauſiſque judicandis uſus eſt.

VII. Sed duæ res illæ ſunt, de quibus hoc in loco reprehenditur Juſtinianus: quod videlicet conſules e medio ſuſtulerit, & Senatus auctoritatem penitus ſit aſpernatus. Attamen, ut dicam de ſecundo, lata lege juſſit Imperator, ut Senatores cauſas difficillimas audirent (26), eoſdem muneribus ampliſſimis præpoſuit, denique ſemper in magnis negotiis & veteri more publice in Senatu, & privatim conſuluit. En verba Theophanis ex Hiſtoria belli Vandalici: Quod ubi reſcivit Juſtinianus, continuo expeditionem in Lybiam decrevit, bello, quod in Media tum gerebat, dirempto; & revocato ex oriente Beliſario, Senatum ea de re conſuluit. Senatus rem difficilem & periculoſam cenſuit . . . Joannes autem Patricius, in medium deſcendens, orationem hujuſmodi habuit . . . Quanquam cur profero in re non dubia teſtes non neceſſarios? Si quæ enim res dubia, gravis, ac difficilis erat definienda, ſi bellum indicendum, ſi demum petenda pax aut concedenda, & privata in domo cum ſenioribus, & in Senatu de eadem diſceptabat.

VIII. Quod

25 Novell. 81. & 105.
26 Nov. 62.

VIII. Quod vero Conſules ſuſtulerit, reprehendi quidem, mea opinione, non poteſt. Licet namque Græcæ Tabulæ illæ, quas Heraclio Voſſius aſſignat, ad Annum uſque DCXXX perveniant; cum tamen conſulum nomina non præbeant a Baſilio, certum cuique videri debet, nunquam poſt Baſilium geſtum fuiſſe in Oriente conſulatum. Hic autem conſul fuit anno DXLI, ex quo uſus annornm notandorum poſt conſulatum Baſilii. Sed, ut paullo ante dicebam, culpandus hac in re Juſtinianus non eſt. Sive enim id egerit aliqua ductus ratione, ſive neceſſitate, rem fecit gratiam omnibus, ut ita dicam, utilemque Reipublicæ. Etenim ex quo ſibi Romani Imperatores omnem & Populi, & Pontificum, & Magiſtratuum poteſtatem vindicaverant; plebis jure ſublato, prodito Senatu, everſa libertate; nec egebat Conſulibus reſpublica, & ſi creabantur, aut nomine tenus Conſules erant; aut moleſtiæ & impedimento. Quomodo hi præterea populo conſulebant, quomodo per eos reſpublica gerebatur, cum dominatu unius omnia tenerentur? Denique ſi rem egit non utilem Juſtinianus, cur quæſo Conſules non ſunt a Juſtino, Tiberio, Juſtiniano, aliiſque Romanis Imperatoribus reſtituti?

LIBER IV.

De Terræmotibus, Peſtilentiis, Seditionibus, quæ Juſtiniano imperante Romanum Imperium vexarunt.

SI fœda peſtis, diræ ſeditiones, denique crudeles terræmotus Imperium ullo tempore vexarunt, hæc omnia Juſtiniano imperante, veluti turbulentiſſimæ tempeſtates extiterunt. Quis eſt enim, qui dicere ſcribendo poſſit, quot incredibiles cædes hominum egerint diutiſſimæ peſtes? quot oppida & urbes domibus ac templis crebri terræmotus ſpoliarint? quos denique miſerabiles caſus civium oculis expoſuerint graviſſimæ ſeditiones? At mea quidem ſententia, nunquam in Imperio adminiſtrando aliquis fuit, qui tanta pietate & vigilantia hiſce malis reſtiterit, afflictis rerum omnium copia ſubvenerit, oppida & urbes, quæ ceciderant, repararit, ſeditioſos denique cives aut ſupplicio punierit, aut, ſumma etiam uſus clementia,

tia, averterit a ſcelere perpetrando.

II. Eodem anno, quo, Juſtino mortuo, ſolus Imperium Juſtinianus adminiſtrabat, nobilem ac veterem urbem Antiochiam ingens terræmotus afflixit. Territi primum omnes ſunt, gravi audito cœli mugitu, cui vehemens tempeſtas veluti comes adfuit; tantaque vi demum concuſſa terra eſt, ut ædificia omnia ſolo fuerint peræquata. (1) Nihil, aut quod urbem defenderet, aut quo fugere cives poſſent, incolume ſuperfuit; eoque gravior ictus apparuit, quo facilius, ab aliis terræmotibus quaſſata ædificia cadebant; multaque hominum millia improviſis domorum ruinis obruebantur (2). Majori quidem vi inſtabat quotidie, ac majori numero ædes ruebant; atque hiatus frequentes apparebant, donec a viro eximiæ ſanctitatis ſunt civeis admoniti, ut, ſi finem tot tantaſque habere calamitates vellent, hæc omnes foribus inſcriberent verba: *Chriſtus Nobiſcum State*. (3) Quo facto, non modo terra quievit, nimbi tranſierunt, hominum ſtrages ceſſarunt, ſed omnis quoque metus evaſit. Urbs vero mœniis atque ædificiis ſpoliata, in eam ſortem devenerat, ut aut penitus deſereretur a civibus, aut principis ſupra exemplum munifici ac liberalis opem auxiliumque expectaret. Doluit miſerabilem caſum Juſtinianus, tantaſque divitias actutum ſuppeditavit, ut brevi & nobilitas ur-

 bi,

1 Cedrenus.
2 Idem.
3 Idem.

bi, & ſplendor ſit reſtitutus (4).

III. Miſia anno Imperii octavo, horribili terræmotu concuſſa, multa oppida amiſit, & nobiles civitates. Celebris etiam urbs Pompejopolis, magno civium detrimento, concidit, cum plures domorum lapſu improviſo opprimerentur. Cujus triſtem cladis nuncium, ut Juſtinianus accepit, eo opes multas, opificeſque quamplurimos expedivit. Id vero potiſſimum curavit, ut omnia mortuorum corpora, quæ danda erant ſepulturæ, ex ruinis educerentur; multiſque præmiis propoſitis iis, qui ſuam huic rei operam dediſſent, plurimos inflammavit (5).

IV. Sed anno Imperii ſeptimo ac vigeſimo, incredibili omnium metu, occœpit Urbs laborare: & cum ædificia frequentius quaterentur, primum minari ruinas, mox corruere inceperunt: cum tandem nec diei, neque ulla noctis parte ceſſaret, in apertam rerum omnium ſtragem erupit. Publica enim balnea, innumerabiles domus, & quamplurima templa, muri etiam Urbis, qui ad Auream Portam erant, conciderunt: multaque cæde facta, totius Urbis excidium minabatur. (6) Non mare, nec pecudes, ne longinqui portus quidem eſſe incolumes potuerunt. Nam continuus fragor undas quatiebat, crebriſque terræ ictibus pecudes vel abſorbebantur

4 Joannes Malala in Chronographia, Anaſtaſius Bibliothecar. Hiſtor. Eccleſ.

5 Anaſtaſ. Biblioth. loc. cit., Theophanes in Chron. Zonaras.

6 Cedrenus.

tur hiatibus, vel a paſtu dimovebantur. Quare, ut rem hanc cives memoria tenerent, inſtitutum eodem ipſo anno fuit, ut, populo in Campo Martio ſupplicante, annus hic perpetuo celebraretur. Jam novus annus inſtabat, quando majori terroris apparatu, ſed minore damno, quam antea, terræmotus recruduit. Siquidem continuo tonabat cœlum, & fulgura emittebat, quæ tam grandis procella comitabatur; ut, præter alia, Crux, quæ intra Portam Auream ſtabat, auulſa radicibus ſuis, fracta ceciderit. (7) Tribus annis a terræmotu quies fuit: verum anno XXXI. talis iterum extitit, qualem nemo unquam ea tempeſtate fuiſſe, recordabatur. Non in Urbe ſolum, quæ aſſiduis ictibus ruere univerſa videbatur (8), & in vicinis civitati locis; ſed per omnem Aſiam tantas egit ruinas, ut, multis urbibus continuo terræ motu collapſis, ingens numerus hominum interierit. Hanc iram Dei, lacrymis ut cives ac præcibus placarent, magnum ipſe pietatis exemplum præbuit Imperator, cum ad Eccleſiam lacrymans ſine corona proceſſit: qua dies multos poſt uſus non eſt. (9) Plurima quoque egentibus donavit, eaque iis diſtribuit, quæ inſervire ludis natalitiis debebant. (10)

7 Idem.

8 Agathias Lib. IV.

9 Anaſtaſ. Biblioth. loc. cit.

10 Agathias loc. cit., Zonaras: Mœſtus Imperator ad Natalicia & Theophania ſine corona prodiit. Conſueta etiam Cretoria duodecim dierum non egit, ſed quod illis fuerat impendendum pauperibus largitus eſt.

Quo exemplo cives commoti, Eccleſias continuo ſupplices adibant, atque officiis magnæ pietatis opem, divinamque clementiam exorabant. Sic anno ſequente, quo Magnæ Eccleſiæ pars nobilior concidit, finem accepit in Urbe terræmotus (11).

V. Haud equidem minora mala peſtis intulit, quæ cum in orbem Romanum anno Imperii quinto irrupiſſet, huc illuc magna hominum & pecudum ſtrage diſcurrens, nunquam abiiſſe viſa eſt. (12) Nulla enim Imperii provincia, nulla civitas, nulla denique domus fuit, quæ aut longo gravique morbo caruerit, aut multo funere civium non fleverit. Paſtorum quoque magalia, & greges pecorum peſtis invaſit; ita ut rura penitus deſerta, & inculta viderentur. Miſſa faciam ego, quæ in Imperii provinciis perpeti homines pecudeſque debuerunt, & quæ ſine delectatione legerentur, ut de ſola Urbe dicam, quæ tum peſte laboravit, cum gravi terræmotu affligeretur. Nam, ut rem magnam paucis quidem verbis complectar, cum & gravis ac diutina peſtis eſſet, fere omnes primum perculit vis morbi, multos deinde interemit, tantam denique ſtragem edidit omnium ætatum & ordinum; ut, cum neque amici, neque affines præſto eſſe funeribus poſſent, nec viri, nec currus, nec naves ad traſportanda cadavera ſufficerent; immane ſui mors ſpectaculum præbuerit, multaque aut ni

11 Idem.
12 Agathias.

in mare projecta ſunt, aut in viis, & in littore ad ſextam uſque diem inhumata jacuerunt. Venti flabant horiſoni quotidie: ſol, cum apparebat, denſa & nigra caligine veſtiebatur: atris denique nubibus ſæpe cœlum opertum fulgura emittebat, quibus tacti multi incendebantur. Preces hinc & publicæ ſupplicationes decernuntur, votaque inſtaurantur: quibus Dei pietas commota, urbem peſte omnino liberavit. (13)

VI. Age nunc loquamur de ſeditionibus; quas cum homines flagitioſi & populares, aut vindictæ ſtudio, aut imperii cupiditate excitaſſent, graves & periculoſæ Reipublicæ fuerunt. Non dicam ego de illis, quas Joannes miles legionarius, vir nobilis Artabanus in Affrica, Hæretici, præſertim Severiani, excitarunt: quæ & parva manu reſtingui, & ſine multa cæde potuerunt. (14)

VII. Gravis illa fuit & diuturna, quam ſuſcitarunt anno duodecimo milites Romani, qui adverſus Mauruſios in Africa, duce Salomone, pugnabant. Fuerat Salomon a Beliſario, victis Wandalis, totius Africæ præfectus conſtitutus, ut hornm reliquias prohiberet ab armis, & Mauruſios ad defectionem paratos cohiberet. Jam multis ipſe proſtraverat cladibus copias barbarorum, atque in reliquos claſſem comparabat, cum ii mi-

13 Vide Theophanem, Zonaram, & Agathiam.

14 De his vide Procopium Lib. II. Bel. Perſ.; Lib. II. & III. Bel. Gothor.; Georgium Codinum in Originib. Cpolit., Cedrenum.

ii milites, qui Wandalicas feminas duxerant uxores, ab eiſdem die noctuque ſollicitati, jam de invadendis oppidis, quibus ipſæ ante bellum dominabantur, cogitabant. Id, re cognita, Salomon prohibuit, ac juravit pœnas ſe de rebellibus ſumpturum, ſi aliter egiſſent. Hinc nocturnos cœtus milites agitant: exin conſilia fortiorum expeteſſunt: ſtatuunt tandem eſſe occidendum Salomonem. Dum igitur Sacris adſtat Salomon in Eccleſia, multi armati cum aliis ingrediuntur. Verumtamen rerum divinarum majeſtate perterriti, tantum facinus tentare auſi non ſunt. Cum hi autem e templo diſceſſiſſent, ita alii alios exprobrarunt, ut ne a cædibus quidem fuerit temperatum. Qua de re Salomon, quid agerent, quidque vellent milites cognovit; dumque ſe in omnem eventum pararet, certior factus eſt, partem conjuratorum ad agros hoſtiliter depopulandos, partem ad urbem diripiendam diſceſſiſſe. Quo facto omnes in Bulæ campum conveniunt, Stozam equitem ſalutant Imperatorem, obſident tandem Carthaginem. Interim Beliſarius, ad quem Salomon miſerat auxilium expetitum, ad urbem cum militibus conſcenſa navi pervenit. qua cum educti milites fuiſſent, lætique Stozam omnes ſalutaſſent, veritus Beliſarius, ne hoſtibus ipſe proderetur, cum paucis aufugit. Quare eo ſtatim miſit cum inſtructo exercitu Germanum Juſtinianus: a quo, prælio commiſſo, fuerunt ſeditioſi cum ingenti clade ſuperati. Stozas in ultimam Affricam contendit, ubi viri principis filia in matrimonium accepta, nunquam po-

poſtea de viſendis Imperii Romani finibus cogitavit. Germanus antequam victor Byzantium regrederetur, aſtatum militem Theodorum, qui fovebat reliquias ſeditionis, una cum reliquis conjuratis interemit. (15)

VIII. Graviorem alteram & crudeliorem Hypatius & Pompejus ſuſcitarunt: viri non tam nobiles, & divites, quam ſtrenui, & populares. Hi, Anaſtaſii Auguſti nepotes, de invadendo Imperio ſimul, & Juſtiniano interficiendo cogitabant. Et cum jam plures ex patribus, magnamque improborum hominum multitudinem, ſpe & donis illectam, armiſque miniſtratis, in ſuum ſacramentum deduxiſſent; hos dum ludi Circenſes agebantur, ad Urbem diripiendam dimiſerunt. (16) Fit ubique rumor in Urbe, templa, domus, theatra incenduntur, cives ad arma repente excitantur, omnia hoſtili more miſcentur, violantur, depopulantur. Nulla ſine ſcelere domus fuit, nil hoſtili impietate vacuum, eoque magis pavidi erant cives, quod nulla unquam in urbe fuerat ſuſpicio ſeditionis.(17) Domum ergo ſuam

15 Procop. Lib. II. Bell. Wandal.

16 Dicta eſt a teſſera data hæc ſeditio *νίκα*, ideſt *vince*, quam Sigonius retulit ad A. C. DXXXI.

17 Veteres hanc ſeditionem repetunt ex ſtudio Circenſium ludorum, cum revera ex condicto, velut incaleſcentibus animis, fuiſſet ſuſcitata. Theophanes: *Et in Circenſibus*, inquit, *ex factione Praſinorum & Venetorum tanta ſeditio ex certamine orta eſt, ut magnam fecerit cædem*. Multa ſemper cædes fuit in Circenſium celebratione ex ipſis factionibus, quibus viri principes & Ro-

ſuam majoribus quiſque præſidiis munivit ac firmavit; cùm ubique conjurati cum ſcelere baccharentur; & Hypatius ac Pompejus ſolita in pala-

& Romani Imperatores ſuum dare nomen non dubitabant. Sic enim Caligula Praſinæ, de quo Svetonius cap. 55. *Praſinæ*, inquit, *factioni ita addictus & deditus, ut cœnaret in ſtabulo aſſidue & maneret*: Sic Vitellius, eo quod Venetæ eſſet addictus, *quoſdam*, ut idem inquit Svetonius, *& de plebe ob id ipſum, quod Venetæ factioni clare maledixerant, interemit*: ſic tandem Anaſtaſius Praſinis favit, ut eſt in Chron. Paſch. ad Olymp. CCCXIX. Quatuor erant hæ Circenſes factiones, de quibus ita Coryppus in Laudibus Juſtini Lib. I.

Solis honore novi grati ſpectacula circi
Antiqui ſanxere patres, qui quatuor eſſe
Solis eques, quadam rerum ratione putabant;
Tempora continui ſignantes quatuor anni,
In quorum ſpecie ſignis, numeriſque, modiſque
Aurigas totidem, totidem poſuere colores,
Et fecere duas ſtudia in contraria partes,
Ut ſunt æſtivis brumalia frigora flammis.

Theophanes: Tale ſpectaculum, inquit, aurigæ præbent, & inanis ſpectantium favor nunquam quieſcit. Sic Ruſſati, Albati, Veneti & Praſini mappas in circo quærunt ſed ultima fære ſemper in ambiguo eſt. Sic pro vili panno miſerorum mortalium animi huc illuc diſtracti pendent. Domitianus his *Auratos* & *Argentatos* adiecit, ut refert Dio. Confer Nicol. Aleman. ad ἀνέκδ. Procopii cap. 7. Vide de his ludis Ovidium Faſtor. Lib. IV., Juvenalem Satyr. 12., Senecam de Beata Vita cap. 15., Lipſium Epiſtol. Quæſt. Lib. I. Epiſt. 5. ad Janum Lernutium, Volphangum Hungerum ad Cuſpinianum in Juſtiniano, Panvinium de Ludis Circenſibus, & Bulengerum de Circo, Venatione &c.

palatio officia adminiſtrarent. (18) Diem namque opportunum Hypatius expectans, non modo cædem Imperatoris contulit in aliud tempus; ſed etiam ſui ſceleris & amentiæ ſociis præcepit, ut de Joanne Cappadoce, qui erat Quæſtor, ac de Triboniano Præfecto Prætorio quererentur. At cum utroſque ab officio Imperator removiſſet, ne ita quidem ſeditio conquievit. Mandat igitur Mundo & Beliſario Imperator, ut palatium diligenter cuſtodiant, ac videant ipſi, ne quid capiant cives, urbs detrimenti. Sic præcluſa via Hypatio clam interimendi Imperatoris, rem agit aperte. Quare die quinta Imperator ſalutatus, & aureo torque redimitus, Pompejo, ſceleris adminiſtro, comitante, de foro cum tota conjuratorum manu diſcedit ad palatium invadendum. Ac licet Hypatius ab uxore, nobiliſſima atque honeſtiſſima femina, propalam moneretur, ne ſe tanto ſceleri manciparet, neu vellet obviam ire certæ morti; non tamen lacrymis, non quidem precibus potuit ab incepto revocari. Mundus & Beliſarius cum delectis copiis ſeſe offerunt Hypatio. Fit anceps prælium in limine ipſo palatii: denique conjurati circumventi, ad unum fere omnes ceciderunt. Hypatius & Pompejus capti trucidantur, & qui cladi ſuperfuerant, veniam a Juſtiniano obtinuerunt. Erat tandem de filiis Hypatii & Pompeii aliquid decernendum, ne aut ipſi

18 Procop. Lib. I. Belli Perſici, Marcellin. Comes in Chronico.

ipſi patrio exemplo Imperium appeterent aliquando, aut de illorum morte vindicanda cogitarent. Sed pietas, & clementia vicit animum Imperatoris, juveneſque nobiliſſimos non patriæ tantum & familiæ ad ſpes alias reſervavit, ſed priſtinis etiam honoribus & dignitatibus reſtituit (19).

LI.

19 Procop. loc. cit., Marius in Chronico.

LIBER V.

De Bello Perſico.

SCripturus ego de bellis Juſtiniani, nec de omnibus verba faciam, nec in iis, quæ perſequar, diuturnam orationem impendam. Dicam namque ſolummodo de tribus illis, cæteris aliis gravioribus & longioribus: quorum primum cum Perſis, alterum cum Vandalis, tertium cum Gothis in Italia geſtum eſt.

II. Perſæ olim opibus, & corruptis luxu vitæque elegantia moribus celebres, ſuis primum ab Alexandro divitiis, mox a Romanis ſpoliati, ſic barbari & efferati facti ſunt, ut in viribus jus, leges in armis omnes collocarint. Ac licet poſtea bellum perpetuum ſuſceperint cum Romanis, attamen cum Arcadio amicitiam coluerunt. (1) Veri-

1 Aurelius Alexander, Gordiani, Aurelianus, Carus, Diocletianus, aliique Romani Imperatores bellum cum Perſis proſpere geſſerunt. Confer S. A. Victorem, & Ruſum Feſtum. At Valerianus male cum Sapore Rege, a quo etiam fuit in ſervitutem abductus. Jovianus non bonis conditionibus pacem fecit cum iiſdem. Zoſimus Hiſtor. Lib. 3.

Veritus hic moriens arma Perſarum, quæ jam adverſus Imperium parabantur, horum ſe fidem Romanis obligaturum ſibi perſuaſit, ſi Iſdigertem regem Theodoſio filio tutorem teſtamento deſignaret. Nec ſpe ſua fruſtatus eſt Imperator: donec enim vixit Iſdigertes, uſque ad provectam Theodoſii ætatem, non ſolum pacem Perſæ cum Romanis ſervarunt, ſed etiam amiciſſimi fuerunt. At Iſdigerte mortuo, Vararanes & pacem rupit, & Imperii fines eſt depopulatus. Cum Peroza (2) pax fuit, propterea quod ab Hunnorum armis detinebatur: quibus poſt bellum atrociſſimum, cladeſque memorabiles acceptas, tributum quoque ſolvit biennio. Hic cum lata lege juſſiſſet, ut feminæ eſſent omnibus communes: nec verecundia ab amicis, nec neceſſitas ab affinibus, nec natura a parentibus ipſis barbaros arceret, obortis etiam cædibus ac ſeditionibus (3), Perſæ indignati, eumdem in vincula conjecerunt, regnumque Blaſoni fratri obtulerunt. Amidam urbem Meſopotamiæ Blaſo tentavit, qua abire per Anaſtaſium juſſus eſt. Interea regnum Gabades habuit: qui cum ſæpe arma in Romanos ſumpſiſſet, & nonnulla oppida tentaſſet, a Nitta & Beliſario adoleſcentibus victus eſt.

III. Erat jam Imperator Romanorum Juſtinianus, & Perſarum regnum adhuc Gabades obtinebat, quando totis viribus Perſæ in hoc grave bellum

2 Agath. Lib. 2.
3 Agathias loc. cit. Procop. de Bello Perſ. Lib. 1.

bellum deſcenderunt. Ab re minima exordium tantis cladibus fuit, & tanto bello: quo, Perſæ victi, nunquam arma deinceps ſumere potuerunt. Etenim a Perſis Romani, turrim in Imperii finibus ædificantes, impediuntur; quique armis vim arcere tentabant, interficiuntur. Eo ſtatim cum multis copiis proficiſcitur Beliſarius, ac, prælio commiſſo, exercitum Perſarum profligavit. Quo in prælio eximia virtus fuit ludi magiſtri cujuſdam, qui cum neque in armis unquam, neque in acie ſtetiſſet, ſingulare cum Perſa certamine, cæteris recuſantibus, inito, barbarum, ſpe jam victoriæ ſuperbientem, interemit. Verumtamen, licet eſſent victores Romani, oblata tamen Perſis per Beliſarium pax fuit, jubente Juſtiniano: quam vix dum barbari ſuperbe recuſarant, ingens clades oſtendit, bonis conditionibus pacem victis oblatam, nunquam eſſe recuſandam. Poſt hæc Perſæ in Armeniam arma converterunt, mox in Aſſyriam, omnia latronum more depopulantes. Sed in Armenia, a Sitta fuſi ſunt; in Aſſiria autem, ſignis extemplo collatis, tam anceps prælium fuit, ut cum multi utrinque cecidiſſent, ac, nonniſi illuna nocte, ſeparari exercitus potuiſſent; utrum Perſæ an Romani victoriam reportaſſent, tandem ſit dubitatum. Magna quidem ex utraque parte cædes fuit, multi acceptis vulneribus poſthac occiderunt, ac multi etiam, fuga arrepta, longe a caſtris tota nocte ſteterunt. Poſt hæc Æthiopes & Homeritæ in belli ſocietatem vocantur: Martyropolis in Sophoſena a Perſis oppugnatur: Gabades tandem moritur, regno

Coſroi filio relicto, qui & animum a bello removit, & poſtulatam pacem obtinuit a Juſtiniano. (4)

IV. Interea cum victi Vandali fuiſſent, omneſque Imperii vires in Italiam traducerentur; Coſroes hanc eſſe belli gerendi occaſionem ratus, queritur apud Juſtinianum, fines ſuos Aretam prætergreſſum: atque illico ad arma diſcurrit; depopulatur agros; Armenos ad ſuas partes trahit, cumque Gothis conjungitur. Novit ſtatim initio Juſtinianus, hanc rumpendæ pacis exquiſitam eſſe rationem; quoniam fœdus ipſe ſancte coluerat, nec ullam querelæ cauſam pacis tempus ſuppeditarat. Quare Sittam alteri exercitui præfecit: qui tamen nec rebelles Armenos potuit ad officium revocare, nec Coſroem a diripiendo prohibere. Cum enim primum caſtra prope illa hoſtium locaſſet, deinde prælium ingens commiſiſſet; non aciem modo perdidit omnem, ſed eſt ipſe etiam occiſus. Buzas interim collectis militibus, qui ſupererant, bellum adminiſtrabat. Juſtinianus autem rupti fœderis cauſam a Coſroe per legatos quæſivit: a quibus reſponſum accepit, jam a Perſis obſideri Meſopotamiæ civitates. Zenobia igitur, urbs munita ſatis & fortis, tentata, vix barbarorum impetum ſuſtinuit: Surenique oppido non ignobili a Coſroe contra datam fidem occupato, magnaque hominum parte occiſa, reliqua libera capita vendidit, omnique præ-

4 Hæc anno VI. & VII. Procop. Lib. I. Bell. Perſ.

præda potitus una cum uxore, quam eximia forma excellentem inter captivas delegerat, diſceſſit. His ad Juſtinianum delatis animadvertit, rem eſſe omni conatu gerendam, nec quidquam operis, conſilii, diligentiæ remittendum. Duos itaque exercitus parat quorum alter obviam hoſtibus iret citra Euphratem, fines alter Imperii tutaretur. Tertium quoque inſtruebat, qui in omnem caſum paratus, eo celerrime mitteretur, quo neceſſitas poſtularet. (5)

V. Dum hæc ingenti ſolicitudine parabantur, allatum nuncium eſt, Coſroem Berrhæam, quæ civitas non multum diſtat ab Antiochia, vi captam deleviſſe: ipſamque Antiochiam, paullo poſt impetu ſuperatam, igne penitus concidiſſe. Verens itaque Juſtinianus, ne hoſtis victoria ferocior inſoleſceret, pacem depopoſcit, quam niſi quinquaginta millia nummum perſolviſſet, totidemque perpetuo ſingulis annis præſtaturum ſpopondiſſet, nunquam obtinuiſſet a Coſroe. Sed & rediens hic in regnum ſuum, animum cædibus & rapinis aſſuetum, temperare non potuit, quin leges illas, quæ ſacræ ſemper inter bellantes populos fuere, violaret: Seleuciam maritimam civitatem ſacris ſuis profanaret: Apameam magna vi argenti mulctaret: Daphnem quoque incendio vaſtaret, ut nobilis Perſæ mortem, a juvene lanio lapidis ictu occiſi, quod in ſolitario loco armis ab eodem perſequeretur, vindicaret.

 Quam

5 Procop. Lib. II. Bell. Perſ.

Quam quidem ſortem cum Apameenſes expectarent, ſpem omnem ſuam in Sancta Cruce, cujus magnam partem a Syro homine acceperant, nec inutiliter collocarunt. Cum enim cives cognoviſſent, Apameam iter Coſroem intendiſſe, Eamdem Thomæ Urbis Præſidi dederunt, ut barbarum arceret e civitate: quo inſpectante, cum a Thoma huc illuc traheretur; ſic totus eſt igne circumdatus, ut ſe Coſroes aut novitate rei, aut aliqua certe pietate commotus, ab omni vi, cæde, incendioque abſtinuerit. (6)

VI. haud diuturna tamen pax Romanis cum Rege barbaro fuit. Lazi enim, qui Romanorum Magiſtratuum crudelitate & avaritia gravabantur, cum clanculum legatos ad Coſroem miſiſſent, ut in fidem reciperentur; hac arrepta belli occaſione, copias comparavit, ut adverſus Hunnos, ſicut ipſe dicebat, pugnaret, ſed revera ut Imperii fines invaderet. Beliſarius, qui tum in Oriente morabatur, cognita Coſrois calliditate, inſtructo exercitu, confeſtim in Meſopotamiam contendit; ut præſto adeſſet motibus barbarorum. Niſibim In itinere tentat: ſed quia & natura loci, & magno Perſarum præſidio erat munita, ea relicta, Siſauranum oppugnat, quam brevi captam ſolo coæquavit.

VII. Sed jam hyems armis contraria properabat; & milites cum longis itineribus feſſi, tum contraria valetudine laborantes, miſſionem po-

6 Procop. ibid.

poſtulabant. Diſpoſitis hinc præſidiis, militibuſque dimiſſis, Beliſarius Byzantium, quo vocabatur, revertit. Totum hybernum tempus ſic abſolutum. Ineunte autem vere Coſroes e finibus ſuis cum ingenti exercitu egreditur, & ſtatim cingit Sergiopolim obſidione; a qua tum eſt diſcedere coactus, cum eo Beliſarius pervenit. Nec vero Coſroem Beliſarius deſeruit: imo ita inſequutus eſt eum, ut non caſtra modo prope illa hoſtium collocarit, ſed cum paratos ad pugnam milites haberet, copias etiam quotidie pro caſtris producebat, ac magna diei parte aciem inſtructam tenebat, ut barbaris faceret dimicandi poteſtatem. Diu milites ſuos Coſroes continuit; mox, cum certamen recuſaret, paucos emittebat, qui rem, leviter pugnando, cunctarentur. Quo modo licet plurimi ſæpe e barbaris perirent, exactum eſt ver. Beliſarius itaque ad Urbem revocatus, ita e caſtris diſcedere debuit, ut non modo Perſas non vincere, ſed ne potuerit quidem cum iiſdem concertare. Perſæ interim horribili peſtilentia laborant: quod ut reſcivit Juſtinianus, militibus, quos diſcedens reliquerat Beliſarius, ut invaderent languentem hoſtem, imperavit. Sed a barbaro exploratore ducti in inſidias, multis cæſis, pleriſque captis, cæteris in fugam converſis, caſtra etiam & prædam amiſerunt. (7)

VIII. Hac inſolens Coſroes victoria, novum

D 3

7 Procop. ibid.

vum bellum majori vi ſequenti anno ſuſcepit; Multis primum locis potitus, & oppidis muniſſimis, denique Edeſſam tentavit; quam cum fruſtra diutius obſediſſet, victus ab eadem fureuſque diſceſſit. Paucos hinc poſt menſes cum magno belli apparatu revertitur: cominus infeſta ſigna infert Edeſſæ: aggeres, vineas, turres; magna ſolicitudine factas, locat, diſponit: muros nunc tentat ſcalis, nunc pedites caſtris equiteſque producit, ut rem prælio committeret, ac numero ſaltem hoſtes ſuperaret. Qua re cives, cum ad numerum eſſent longe minorem redacti, & rerum omnium inopia præmerentur, pacem per legatos a Coſroe poſtularunt. Scilicet Edeſſeni magnum argenti pondus Coſroi obtulerunt, ſi menia desereret. At cum tergiverſari cives viderentur, ne promiſſum argentum ſolverent; Coſroes muris acrius inſtetit. Cives contra inopia victi, barbarum quoque regem timentes, magna vi e portis erumpunt, hoſtemque multa cæde a mœniis repellunt. Perſæ igitur, ſic fortuna belli mutata, pacem poſcunt; promiſſoque argenti pondere accepto, ſe nunquam pugnaturos cum Edeſſenis ſpoponderunt. Tum ſuos legatos miſit ad Coſroem Juſtinianus, ut firmatæ denique pacis recordaretur. Multa quoque aureorum millia barbaris obtulit, quibus captus Coſroes, Romanis inducias in quinquennium conceſſit. (8).

IV. Sed quæ in barbaris eſſe fides poteſt? Coſroes

---

8 Procop. l. c.

Coſroes namque venditam Romanis pacem non ita diu obſervavit, quin Daram opulentam civitatem, non multo poſtea obſideret. Vallo urbem, caſtris & præſidiis loca omnia munivit; tantoque impetu muros tormentis, telis cives deturbavit, ut in ſpem certam Perſæ devenerint urbis capiundæ. At cives fortiſſimi omnes, hoc fœdus pepigerant, ut alter alterum non relinqueret, nec quiſquam diſcederet a defenſione urbis, conjugum, liberorum. Sic ad urbem defendendam parati, omni ſeſe periculo offerebant: non eruptionibus frequentiſſimis, non agendarum prædarum difficultati, nunquam labori ſuo pepercerunt; ſæpe in fugam Perſas conjecerunt, ac ſæpe eos caſtris, magna præda potiti, exuerunt. His ergo cædibus Coſroes, & difficultate rei permotus, Daram reliquit, & contra Lazos, qui cum eos facti ſui pœnituiſſet, ad fidem Juſtiniani reverterant, cum omni exercitu profectus eſt.

X. Cum vero fama adventum hoſtium præiſſet, Romani exercitus Legati, qui in finibus Imperii morabantur, omni ex loco contractis copiis, vocatiſque præſidiis, juſtoque exercitu comparato, obviam eiſdem proceſſerunt. Siquidem erat omnibus perſuaſum, rem eſſe integro certamini committendam, ut bellum, quod a Perſis latronum more populando ac diripiendo agebatur, uno atque altero prælio finiretur. Igitur qua ex parte hoſteis appropinquare cognoverant, eo cum totis copiis contendunt; locoque ad pugnam ſatis apto in itinere occupato, Coſroem cum toto exercitu ad dimicandum coegerunt. Alacres Ro-

mani, quòd poſſent aliquando cum hoſtibus pari loco & majori animo concertare, grandi in prælium emulatione deſcendunt. Coſroes aciem inſtruit, militeſque adhortatur: *meminerint hercle nunc eſſe cum illis hoſtibus pugnandum, quos toties ſuo ductu ſuperarant, toties ad petendam pacem coegerant, toties denique in acie profligarant: nollent fructum ingens, tot præliis ſibi, & tot laboribus partum, uno puncto temporis, atque uno certamine amittere: eſſent tandem memores gentis gloriæ, qua nulla fuit unquam aut aptior ad vincendum, aut in armis ferocior.*

XI. Romani duces interea, multis inter ordines locis militari concione advocata, ſic ad vincendum milites inflammant. *Vos Romanos milites exercitus legati contra morem adhortamur, ut elatis animis prælium hoc vobis utile, omnibus neceſſarium ſuſpiciatis. Non enim hoc primum tempore milites Romani ſine Imperatore pugnarunt, ſed etiam memorabiles clades intulerunt, ac ſæpe victoriam reportarunt. Agite dum, milites, alacres eſtote, itaque in prælio verſamini, ut & milites eſſe cognoſcant, & vos Perſæ Romanos experiantur. Itaque non ad pugnam vos tubæ nunc vocant, ſed ad victoriam invitant. Quid enim de vobis poſteri prædicabunt, ſi veſtrum exercitum ab illis hoſtibus legent fuiſſe ſuperatum, qui toties ſunt a majoribus noſtris profligati, quoties arma ipſi ſumere in Imperium cogitarunt? Quid? Forſan eos hoſtes timetis, quos ita barbaros natura comparavit, ut nec juſto poſſint prælio contendere, nec aciem inſtruere,*

nec

nec ordinatam militiam ſuſtinere; ſed latronum more nunc e finibus ſuis erumpendo, nunc latebras, ad quas poſt excurſiones confugiant, quærendo, pugnant ſine virtute ſine ordine? Veſtras ergo injurias acceptas ab hoſtibus, veſtras incenſas civitates, tandem commilitonum mortem vindicate.

XII. Dato ſigno certamini, magna ex utraque parte alacritate concurritur. Sed Romani milites ea vi in hoſtes feruntur, ut ruptis primo impetu ordinibus barbarorum, atque acie univerſa perturbata, multos necarint, cæteros in fugam conjecerint: quorum pars ſeſe in caſtra recepit, pars in ſolitudines confugit. Nec duces ſignum receptui dederunt, nec peditatum ab inſequendo revocarunt; ſed gerentes morem militum virtuti; & caſtris uno tempore potiuntur, quæ direpta incenderunt, & palanteis per agros inſequuntur, quorum cæſis multis, innumeros captivos abduxerunt. Coſroes demum, paucis e tanta multitudine collectis, in ſuum regnum profugit, ex quo egredi adverſus Romanos nunquam poſtea auſus eſt. (9)

L I.

9 Anno XXIII. Juſtiniani finem bellum accepit Procopius Lib. II. Belli Perſici.

LIBER VI.

De Bello Wandalico.

RElatu quidem dignum eſt Wandalicum bellum, tum ex eo quo fuit divino conſilio peractum, tum ob res maximas geſtas, Africamque recuperatam. Pietas cauſa belli fuit; gens quacum geſtum eſt barbara & efferata. Ideo namque Juſtinianus bellum cum Wandalis gerere conſtituit, (1) primo, ut eorum regi Hilderico, vi & dolo regnum ereptum, reſtitueret, denique ut ejus mortem ulciſceretur: cumque ea gente pugnavit, quæ cum Gothis & Gepidibus olim ſedem in Europa, Arcadio imperante, quæſiverat, nunc Africam, moribus non mutatis, obtinebat. Nam cum Wandali initio circa Meotidem paludem conſe-

1 Anno IIII. & VII. Cedrenus. Anno VIII. finem habuit, quo IV. erat Coſ. Juſtinianus. Procopius, & Coryppus.

diſſent, ac non multo poſt in Germaniam, primum, mox in Hiſpaniam penetraſſent, a Bonifacio tandem, ut de Aætio vindicaretur, Africam obtinuerunt. Hac potiti Wandali, nunquam poſtea expelli potuerunt, licet ſæpe id Romani Imperatores tentarint. Sed a Maximo, Valentiniani duce, ſunt in Europam vocati: atque ab Eudoxia, ejuſdem Imperatoris uxore, adverſus Maximum tyrannum in Italiam acciti, ut eamdem cædibus, & incendiis vaſtarent, ipſamque Romam ſpoliarent ſuis omnibus ornamentis. A Theodoſio ac Leone ſæpe victi, ſæpe ſunt ab aliis Imperatoribus profligati, denique Marciano tributum pependerunt.

II. Jam Wandalicum regnum, tenebat docilis animi adoleſcens, & adhuc privati amiciſſimus Juſtiniani, Hildericus. Vix dum, mortuo Juſtino, ſolus Reipublicæ adminiſtrandæ curam ſuſceperat Juſtinianus, certior eſt factus, Gelimerem, Hilderici neceſſarium, ad ſeditionem multitudine concitata, ea de cauſa juvenem regno ſpoliaſſe, quod ipſum de prodendo regno cogitare ſuſpicaretur. Actutum igitur in Africam legatos mittit Juſtinianus, qui Gelimeri tyranno præciperent, ſe ſtatim regno abdicaret, idemque Hilderico reſtitueret: ni vellet obtemperare, armis ſe auxilium amico laturum. Gelimer autem non id ſe modo facturum negavit, ſed famam Juſtiniani laceſſivit, ac juvenem Hildericum trucidavit. Itaque eidem bellum indicit Juſtinianus, naves comparat militeſque, Africam ut tyrannide liberaret. Sed cum a ſenioribus,

bus, quos ſemper conſultabat de Republica, cum gentis viribus, germanaque ferocia, tum veteribus exemplis dimoveretur; jam a cura belli ſuſcepti abducebatur.

III. Hac cum eſſet Juſtinianus ancipiti contentione diſtractus, quidam orientis Epiſcopus, vitæ integritate clarus, Juſtinianum adivit, eidemque narravit: monitum ſe divinitus fuiſſe, ut Romanum Imperatorem hortaretur, ne ſuſceptum bellum deſereret, quo a barbarorum ſervitute Chriſtianos, Africamque univerſam liberaret. (2) Quo monitu inflammatus Juſtinianus, omnia celeriter ad bellum diſpoſuit, claſſique in anchoris ſtanti Beliſarium præfecit. Et jam prope Siciliam claſſis pervenerat, cum & Joannis Præfecti Prætorio avaritia, qui naves onerarias retardabat, & contrariis ventorum flatibus, qui iter morabantur, cibaria defecerunt. Quapropter ad Amalaſuntham Gothorum Reginam miſit Beliſarius, quæ ſubito ornavit claſſim rebus omnibus neceſſariis. Ab Sicilia in Africam facile iter fuit, & expeditum, quo cum claſſis perveniſſet, militeſque e navibus Beliſarius eduxiſſet, caſtra fere in litore poſuit: dumque foſſam milites agebant, in loco, qui aridus ſemper fuerat & ſiccus, aquæ rivus abundans erupit. Proximo die Syllectam, quæ urbs a caſtris unius diei itinere diſtabat, aut vi aut bonis conditionibus ſibi capiendam exiſtimavit. Nam & maritima civitas frumenti adſportandi cauſa, aliarumque rerum ne-

a. Theophan. Procop.

neceſſitatibus magno erat uſui; & qui Romanos locorum difficultates docerent, neceſſarii. Quare e ſuis nonnullos Beliſarius præmiſit, qui barbaris oſtenderent, aut ſtatim veniendum eſſe ad deditionem, aut armis omnino decertandum. Nihil, cognita belli mole, barbari dubitarunt, quin res ſuas omnes urbemque traderent Beliſario. Qua victoria lætus, cum neque armis, nec militum ſanguine, non ignobili urbe, munitiſque aliis caſtellis eſſet potitus, civibus in fidem acceptis, urbeque præſidio firmata, Carthaginem, totius Africæ caput, magnis itineribus contendit. Quo in itinere exemplo quidem fuit militum diſciplina, qui ita ſunt in hoſtili regione verſati, ut nihil egerint turpiter, nihil vaſtarint, neq neminem unquam ſive prædæ cauſa, ſive quadam hoſtilis furoris oſtentatione violarint; ſed ſuis officiis, ſuo quiſque muneri intentus imperatoriæ huic legi ſanctiſſime obediebat. Quippe vir graviſſimus Beliſarius ſic militarem diſciplinam cuſtodiebat, ut ſevere milites nocenteis capitis etiam pœna multaret.

IV. Gelimer de adventu exercitus Romani, ac de Syllectenorum defectione certior factus, fratrem ſuum Ammatem cum expeditis copiis obviam hoſtibus miſit, ut Romanos ſaltem bellumque cunctaretur. Ammates autem, prælio extemplo commiſſo, occiſus eſt: quod ſimul ac audierunt milites, terga converterunt. Romani vero fugientes inſequuntur, & cædem multam edunt barbarorum: ac non prius a curſu deſtiterunt, quam in conſpectum Carthaginis veniſſent.

Ca-

Caſtra haud longe ab Urbe poſuit Beliſarius, machinas fieri juſſit quam celerrime, præſidia in multis locis vigileſque locavit, cæteros etiam exercuit militari labore. Sed fortunam belli aperto in loco maluit Gelimer experiri, quam longam pati, neque ante proviſam obſidionem. Quotquot igitur potuit in temporis anguſtia, ex omni loco ad urbem vocavit, omnibus arma dedit, certaminique paravit. Quare condicto die e muris omnes educit, ac Romanis fecit copiam pugnandi. Et quamvis aliam ſibi belli rationem propoſuerat Beliſarius, hanc tamen dimicandi occaſionem non recuſavit.

V. Signo pugnæ dato cum id clamore ingenti barbari approbaſſent, cum hoc, tum horum incredibili multitudine, cujus inter ordines partem Gelimer collocarat, pars ſine ordine ad extremum agmen coierat, Romani perterriti, ſigna deſerere, miſcere ordines, fugam tandem arripere cogitarunt. Obſtitit primis fugientibus Beliſarius: quibus poſtquam ſumma vocis contentione demonſtraverat, manus eſſe cum illis conferendas, qui nec in acie ſtare, nec ſigna ſequi didicerant: imperitam & magis aptam latrociniis, quam bello multitudinem haud eſſe pertimeſcendam: non bellum tam proſpere inchoatum, nec jure ſpem conceptam inani metu eſſe deſerendam: *Agite dum*, inquit, *milites ſi Romanorum gloriam & nomen, ſi omnium, veſtrumque decus amatis, ducem in medios hoſteis ſequimini.* Hac ratione acies reſtituta, atrox undique bellum renovatur: primuſque omnium Beli-

ſarius, quo confertiſſimum agmen erat, ſeſe cum ſociis ad vincendum convertebat. Non tantum barbari virtutem ſuſtinere, non Gelimer multitudinem inexpertam ſic regere potuit, quin omnes ſuorum cædem undique conſpicientes, confuſis primum cum auxiliaria multitudine militibus, verterent terga, inque eamdem fortiores conjicerent fugiendi neceſſitatem. Cædes fit major fugitivorum hoſtium, quam ſtantium. Quippe cum præ multitudine eſſet unus alteri impedimento, nec locus aptus eſſet omnibus ad fugiendum: & tergo a Romanis cædebantur, & a validioribus tenuiores ſauciique opprimebantur. Nec vero ii, qui arripere fugam potuerunt, unum omnes in locum convenere: ſed pars in Bulæ campum, pars in Numidiam profugit; cumque veriti eſſent omnes, ſi Carthaginem petiiſſent, fore ut ab imminentibus Romanis occiderentur, domus, liberos, conjuges deſuerunt, & urbem defenſoribus vacuam reliquerunt.

VI. Itaque, a nemine impeditus Beliſarius, uſque Carthaginis mœnia pervenit: quam, quia nimium ſol inclinaverat, proximo diei reſervavit. Sic uno tempore, atque una victoria ingentes hoſtium copias delevit, Urbe eſt fere potitus, bellum tandem graviſſimum confecit. Ægre tamen milites tulerunt, Beliſarium ingredi Carthaginem recuſaſſe. Nam etſi vacua eſſent defenſoribus mœnia, atque intus mulierum ac puerorum ululatus, voceſque ſeniorum numina præcantium audirentur; veritus tamen eſt inſidias proximæ noctis occaſione Beliſarius. Caſtra autem

tem prope portas locavit, quibus milites lata lege, ut nemo egrederetur, tota nocte continuit. Barbari, ſimul ac nox diem excepit, portas aperuerunt: atque ignes tota nocte per urbem, non militari modo, ſed feſtorum dierum ratione viſi ſunt. Nemo vero ex iis, qui fuerant urbis præſidio relicti, in muris apparuit, ac nemo portas armatus cuſtodiebat; ſed vigilias omnes cum pueris, feminis, ac ſenibus in deorum templis trahebant. Ita nox acta eſt.

VII. Prima luce milites ad concionem Beliſarius vocavit, in qua cum primo virtutem eorumdem commendaſſet, tandem edixit nequis in urbe invadenda inferre injuriam hoſtibus auderet; ſed ita omnes in eadem verſarentur, quaſi eſſent advenæ ac peregrini. Id cum præcepiſſet Beliſarius, & ejus verba milites læto clamore approbaſſent, ſic victor exercitus Carthaginem eſt ingreſſus, ut, licet ſuo omnes arbitrio huc illuc acti curioſitate vagarentur (fuerat enim ab exploratoribus relatum, nullam a barbaris inſidiam præparari) nullum eſt tamen ſcelus admiſſum, nullam aut vim aut contumeliam cives perpeti debuerunt. Quæ res, cum nihil belli jure perverteretur, nihil victoriæ licentia mutaretur, adeo fuit barbaris admirationi, ut nec tabernas clauſerint, nec ſua officia deſeruerint, nec venales merces a foro in domus recuperarint. Ita enim modeſte ſua victoria utebatur Beliſarius, ut undique urbs opulentiſſima ab hoſtibus occupata, diuturna florere pace videretur. Poſt hæc barbaris veniam ſupplicantibus conceſſit: muros,

ros, ſi quam labem acceperant civium negligentia, reſtituit: urbem tandem & vallo, & aliis præſidiis munivit. Quibus rebus ipſe tantam ſibi famam apud barbaros comparavit, ut uno ore celebraretur.

VIII. Sed jam fama nunciaverat, Gelimerem, novis auxiliis comparatis, adeſſe: cumque, nec locus ubi eſſet, nec quam ingrederetur viam, poſſet cognoſci; Diogenem equitem Beliſarius cum viginti ac duobus aſtatis miſit exploratum. At cum in Afros quoſdam Romani incidiſſent, hi Gelimeri confeſtim renunciarunt, haud procul hoſtium exploratores adeſſe. Miſit hinc equites trecentos, ut Romanos omnes trucidarent. qui licet numero eſſent longe pauciores, tamen & prælium committere auſi ſunt, hoſteſque profligarunt. Quo facto, cum nox jam immineret, atque abiiſſe longius hoſtes viderentur, ſeſe in ruſticam quamdam domum receperunt. Ultima noctis vigilia, ſive eos ſubire domum aliquis ex fugientibus Afris vidiſſet, ſive ita factum fuiſſe neceſſario arbitrarentur, undique parvam domum vallarunt, ſuntque etiam effringere portam conati. Quo rumore unus ſomno excitatus, rem cæteris nuntiavit. Fit a paucis Senatus, ut qualis eſſet in re trepida, non tam periculi evadendi, quam vincendi ratio, ſtatueretur. Omnes in hoc conſilium convenere, ut quanta vi e domo poſſet, erumperent. Armis ergo celerrime veſtiuntur, & portas aperiunt, poſtea ſumma vi primi erumpere conantur: in quos licet eſſet tota hoſtium acies converſa, tamen & armis & corpore

 pu-

pugnanteis, a ſequentibus etiam incitati, uſque ad poſtremum omnes exierunt. Hinc circumventi undequaque, ſeſe in orbem colligunt Romani, tantaque vi hoſtes aggrediuntur, ut major pars horum occiſa ſit, cæteri ſe in fugam conjecerint. Sic victor Diogenes, milites in caſtra reducit, hoſtemque imminere Carthagini retulit Beliſario: cujus rei teſtem & prælium actum, & victoriam reportatam, & duos milites amiſſos, & ſua tandem vulnera produxit, quibus brevi etiam interiit.

IX Gelimer autem urbis recuperandæ conſilia agitabat. Quare Wandalis, quos potuit, a fuga revocatis, Hunniſque in auxilium accitis, ex loco ubi conſederat, Carthaginis obſidendæ cauſa diſceſſit. Caſtra non longe ab urbe poſuit, & vias omnes præcluſit, ne qua res in urbem ad uſum neceſſaria adſportaretur. Quamvis autem Beliſarius murorum munitionem urgeret, ſtationes daret, officia diſtribueret; rem tamen eſſe æquo in loco finiendam exiſtimavit. Nam quantum collatis ſignis barbari poſſent, duobus præliis cognoverat: nunc ſi incluſum muris exercitum teneret, barbari rebus omnibus abundantes, & liberos commeatus habentes, Romanos inopia ſaltem ſuperaſſent. Milites hinc ſuos pro concione exhortatur, ne bellum jam confectum renovent minus ſtrenue dimicando, neu reliquias hoſtium pertimeſcant. Nec minus fortiter bellum Gelimeres tractabat. Hanc enim pugnandi occaſionem acceptavit: ſuiſque ſigno dato, ut in aciem prodirent, dum ipſe ſuos hortatur, Zazoni

zoni fratri, qui e Sardinia cum auxiliaribus copiis advenerat, mandavit, ut milites habita oratione confirmaret. Vix pugnam tubæ cecinerant, cum Wandali, abiectis pilis, cominus gladiis Romanos invadunt: qui, ut morem hoſtibus gererent, ſtrictis gladiis pede collato dimicabant. Atrox initio bellum fuit utraque ex parte; ſed cum fortiores Wandalorum, alterque ex ducibus Zazo cecidiſſet, militibus perturbatis, jam ex altero cornu acies inclinabat, & milites mediæ frontis recedebant. Id Beliſarius animadvertit. Alteram ergo pugnam ciet, verbiſque & exemplo milites excitat ad rem conficiendam. Cædes hinc exoritur Wandalorum: qui, cum neque poſſent reſiſtere, neque vellent mori fortiter dimicando, & pedem referunt, & turpem fugam capeſſunt. Noluit hoſteis inſequi Beliſarius, ſed ſigno receptui dato ad primam uſque noctis vigiliam feſſum militem recreavit. Tum magno ſilentio ad caſtra hoſtium contendit, ut eos, languentes ſomno ac vulneribus, aggrederetur. Dant ſignum vigiles Romanos appropinquare: rumor ictu temporis per tota caſtra permanat: ac omnes territi, incertique quid agerent, juſſa a ducibus ipſis expectabant. At cum eſſet primum, quid Gelimer juſſerat, exequendum, fruſtra hic totis caſtris quæſitus, cognitum tandem eſt, clam cum cognatis & ſervis aufugiſſe. Itaque, duce amiſſo, omnes in deſperationem converſi, qua via cumque poterant, ne in hoſtes incurrerent, fugerunt. Romani, pene militibus vacua caſtra adorti, iiſdem, paucis prohibentibus, potiuntur: quos armis obſiſtentes in-

veniunt, interficiunt: denique ingenti præda potiti, magnoque puerorum ac feminarum numero capto, ignem caſtris apponunt, Carthaginemque revertunt.

X. Fractis hoc bello viribus Wandalorum, etſi jam prope exacta æſtas eſſet; erat tamen Gelimer neceſſario perſequendus, tum ne ejus copiæ augerentur, tum ut reliquæ urbes hoſtium venirent in poteſtatem Romanorum. Quare, præſidio Carthagine relicto, Beliſarius cum totis copiis diſcedit. Quotquot urbes & oppida fortuna Romanis in itinere objiciebat, aut victoribus portas reſerarunt, aut legatorum opere divina omnia humanaque dediderunt. Sed jam fuerat Beliſarius ipſum Gelimerem conſequutus, planeque in manus Romanorum incidiſſet, ni ab ipſis fugiendi copiam obtinuiſſet. Nam Joannes Armenius & genere & factis præclarus, ab Uliare, & ipſo fortiſſimo viro, occiſus eſt, dum telo avem proſequebatur. Itaque donec juſta tanto viro ab exercitu univerſo ſunt ſoluta, cum ad reliquum iter conficiendum dimiſſus miles non eſt, tum rex ipſe e manibus effugit; ac funeris pompa peracta, ſcitum eſt, ipſum cum paucis ad Montem Papuam, locum difficilem & præruptum, ſupra quem oppidum erat, perveniſſe. Eo celerrime contendit Beliſarius: montem undique obſedit: milites certis locis diſpoſuit, ac vias omnes præcluſit. At cum ita eſſet locus a natura comparatus, ut nec tentari poſſet nec ſuperari, ſed ſola vinci inopia rerum, poſt dies aliquot, glacie jam quotidie creſcente, Pharam

cum

cum paucis copiis reliquit, ipſe cum toto exercitu diſceſſit.

XI. Pharas poſtquam montem ſcandere inutiliter tentavit, nonniſi longa ſtatione poſſe oppidum ſuperari cognovit. Et jam cibariis conſumptis, tam horrida fames oppidum ingruerat, ut mori omnes rerum neceſſitate cogerentur. Pharas ſæpe miſit legatos ad Gelimerem, ut tandem aliquando ſe cum oppido dederet Romanis: ſic ſibi ſuiſque ſalutem, ſic eſſet pacem Africæ comparaturus. At quamvis ipſa eſſet victus rerum neceſſitate; maluit tamen ultima inopia mori, quam in hoſtium poteſtatem venire. Phara igitur diem patienter expectante, quo aut rege mortuo oppidani ſe dederent, aut fame Gelimer victus flecteretur: ab eodem epiſtolam accepit, in qua eum per deos omnes, perque fidem imperatoris obteſtabatur, mitteret ſibi citharam, panem, ſpongiamque: miſereretur regis, qui cum in maximis opibus olim & magna fortuna floruiſſet, nunc nec coctum panem, quem ederet, non modo non habebat, ſed ne a multis quidem diebus adſpexerat: nec ſpongiam, qua offenſum crebris lacrymis oculum abſtergeret, inveniebat: nec, qua levare dolorem ſuum poſſet, citharam poſſidebat (3).

XII. Regis lacrymis Pharas commotus, omnia eidem miſit, quæ petierat: non tamen aliquid remiſit priſtinæ diligentiæ. Sed jam communis fames nec ferri amplius poterat, nec diſſimulari:

3 Confer. Theophanem, & Procopium.

ri; & Gelimer ipſe mentem exuens paullatim obſtinatam, non extremæ ſuæ, ſed alienarum neceſſitatum miſertus, conſilia deditionis agitabat: cujus paratum animum facinus miſerandum propellit. Cum enim quædam Maurufia mulier paullulum frumenti, quod torruerat, ad coquendum ferret, ac gemini pueri eamdem comitarentur: quorum alter Gelimeris fratris filius, alter mulieris erat; barbarus, re cognita, eamdem eſt ſequutus, ut famem, qua lacerabatur, rapto tandem frumento ſedaret. Itaque, cum ultima fame pueri incitati, ignem ſtimularent, redderentque celeriorem: barbarus, vi facta, partim etiam crudum, partim aduſtum panem rapit, atque in os ſuum, ut erat fervens ac cinere repletus, conjecit. Ira mota mulier puerique, fame vires ſuppeditante, barbarum ad reſtituendum ablatum coegerunt: itàque mulier ac pueri, trito jam dentibus pane paſti ſunt. Hæc res, ut fuit ad Gelimerem delata, pacem ipſe a Phara miſit poſtulatum, quam confeſtim obtinuit. Accepto hinc oppido a Romanis in deditionem, Gelimer Carthaginem ductus eſt: quo cum pervenit, dicitur præter conſuetudinem riſiſſe; ſive quod ob ingentem animi mœrorem mente ſanus haud eſſet, ſive quod humanas res fortunamque derideret.

XIII. Dum hæc in Papua monte agebantur, Beliſarius apud Juſtinianum affectatæ tyrannidis accuſatur. Ut igitur omnem ſuſpicionem Juſtinianus removeret de ſummi ac fortiſſimi viri fide, quam ſæpe in multis rebus cognoverat, eumdem bello confecto Byzantium revocavit. Qua-

mo-

quobrem vix dum Pharas cum Gelimere, & cognatis, ac reliqua præda Carthaginem pervenerat, ipſe, hyeme exacta, diſceſſit. Jam acti belli fama, captæ Urbis, Africæ recuperatæ in omnes Imperii partes fuerat diſſeminata, ac ſolus Beliſarius celebrabatur; eique Juſtinianus ſua decretum auctoritate triumphum præparabat. Itaque, gratulantibus omnibus, Beliſarius exceptus, tanta dein pompa ac celebritate triumphavit, quanta, nec florente Republica, neque uno rem Romanam adminiſtrante, ſummi Imperatores. (4) Hic autem triumphi ordo fuit. Primum milites ſigna erepta portanteis adſpiciebantur, quos ipſe Beliſarius, triumphali currui impoſitus, ſequebatur: omnis deinde præda veniebat, interque aurea pulvinaria & gemmis ornata, menſas, vaſa, pocula, currus, veſtes, ac regiam gazam primum locum divitiæ Judæorum obtinebant. Has enim Judæis Romani, Romanis Wandali in urbis direptione, nunc Romani Wandalis eripuerant. Sed longe majus triumphi ſpectaculum fuit Gelimer ipſe, qui victoris currum una cum uxore & affinibus inter regni proceres, vultu intrepido, adſpectuque decoro ſequebatur (5).

XIV. Hac triumphi ſolemnitate peracta, Gelimer primum cum ſuis omnibus ſplendido exceptus hoſpitio, munificenterque tractatus, in Galliam tandem, multis ad vivendum locis ab Imperatore donatus, miſſus eſt. Quin etiam ſu-

4 Confer Jornandem cap. 15., & Procopium.
5 Vide Theophanem, Zonaram, & Procopium.

premium Patriciatus honorem obtinuiſſet, ſi, abjecta idolorum ſuperſtitione, Chriſti fidem fuiſſet amplexatus. Prædam omnem Wandalorum Juſtinianus acceptavit; Judæorum vero gazam miſit integram Chriſtianis Hieroſolymam, ut Dei templo erepta ſpolia, ejuſdem cultui chriſtiano ritu conſecrarentur. Beliſarius tandem Conſul renunciatus, iterum inter plauſus militum ovans per urbem circumfertur, atque in ejus honorem ſunt ludi equeſtres, quibus ipſe præfuit Juſtinianus, conſtituti; (6) tantamque iniit gratiam apud Imperatorem, ut, præter ſtatuam inauratam, aureos quoque nummos obtinuerit, in quorum antica parte Juſtinianus erat, in poſtica, cum hac inſcriptione: Βελισαριοσ ἡ δὸξα των Ρωμάιων: Beliſarius. (7) Itaque, bello graviſſimo confecto, Africa recuperata, Chriſtianis tandem a metu barbarorum liberatis, Africam univerſam Juſtinianus Archelao Præfecti Prætorio nomine regendam cuſtodiendamque commiſit (8).

L I-

6 Zonaras.

7 Auctor de Origine Urbis Cpolis, & Cedrenus. Michael Glycas Annalium Parte IV.: Imperator, ait, eum (Beliſarium) meritis præmiis honeſtans, propriis in nummis tam aureis, quam argenteis virum armatum inſculpſit cum gladio ſtricto. Coryppus Lib. III. de Juſtiniano: Ipſe triumphorum per ſingula vaſa ſuorum Barbarico hiſtoriam fieri mandaverat auro, Tempore, quo captis injecit vincla tyrannis, Juſtinianus ovans, quarto cum Conſule princeps Acta triumphali tereret Capitolia pompa.

8 Procopius De Bello Wandalico.

LIBER VII.

De Bello Italico adverſus Gothos.

GOthi, gens antiqua & fortis, ſed moribus barbara atque inſtitutis; licet ſæpe in Romanos pugnarint, ſæpe tamen cum iiſdem arma in alias gentes ſuſperunt: denique ab Auguſtuli patre in occidentem vocati, Herulis dejectis, ſibi Italiam armis duce Theodorico ſubjecerunt. (1) Hoc tandem mortuo;

1 Iſidorus in Chronico Gothorum: *Gothorum antiquiſſimum eſſe regnum certum eſt, quod ex regno Scytharum eſt exortum. Iſti enim ſunt, quos Alexander vitandos pronuntiavit, Pyrrhus pertimuit, Cæſar exhorruit. Per multa quippe ſæcula & regno & regibus uſi ſunt.* Confer Victorem, Meſſalam Corvinum, Procopium, & Jornandem, qui Gothus origine, poſtea Chriſtianus, tandem Epiſcopus Ravennæ, *de Rebus Gothicis*, ex hiſtoria Gothorum Caſſiodori libellum conſcripſit. Item Carolum Sigonium de Imperio Occidentali, Hugonem Grotium in

tuo, regnum ſub tutela matris, graviſſimæ atque ornatiſſimæ feminæ, ad puerum Athalaricum pervenit. Amalaſuntha vero (ita enim pueri mater appellabatur) cum ambitioſorum hominum audacia, tum regni adminiſtrandi difficultate perterrita, famaque Juſtiniani commota, ſe cum filio eidem, regnumque commendavit (2). Grandior factus Athalaricus, etſi omni ſolicitudine diligentiaque Amalaſuntha curaſſet, ut non artibus illis ſolum imbueretur, quæ ſunt ad regnandum neceſſariæ, ſed omnibus etiam virtutibus ornaretur; ab amicis tamen corruptus, ita ſe voluptatibus dedit, ut adoleſcens admodum obierit. Interea Theodatus, nepos ex ſorore Theodorici, conſilium invadendi regni ſuſcepit: ita, ut nec ſpem diſſimulare ſuam, nec quod animo meditabatur, mentis finibus ſeptum potuerit continere. At mortuo Athalarico rem omnem aperit Amalaſuntha Juſtiniano, cujus cum initio opem conſiliumque imploraſſet, clam ei tandem obtulit Italiam. Sed recuſavit oblatum optimus Imperator: ſuoque opere effecit, ut vocaret mulier Theodatum in regni ſocietatem. Nec vero homo turbulentiſſimus hac re quievit; ſed paucos poſt dies in carcerem Amalaſuntham conjecit, ac non multo poſt trucidavit. (3) II. Hoc

in Prolegomenis ad Hiſtoriam Gothorum, Vandalorum Longobardorum, & Jo: Frid. Gronovium de Gothorum Sede originaria adverſus Cluverium.

2 Caſſiodorus Variarum Lib. VIII. epiſt. 1. Lib. X., Jornandes cap. 59.

3 Confer & Jornandem, & Procopium initio Hiſtoriæ Belli Goth.

II. Hoc itaque tam immani facinore motus Imperator, ſtatuit Italiam armis a ſervitute Gothorum liberare. Multas ergo naves, milites, remiges & commeatus omni ſolicitudine comparat; ac nono ſui Imperii anno Juſtinianus duos exercitus miſit adverſus Gothos: quorum alter in Dalmatiam, Mundo duce, contendere debebat, alter, Beliſario imperatore, in Italiam. Mundus primo impetu, eximia legionum virtute, Gothos fudit, & bellum, Salona occupata, confecit: tantaque uſus eſt felicitate Beliſarius, ut ſui potius fama, quam armis ſit Catania, Panormo, Siracuſis, aliiſque innumeris civitatibus potitus. Hac exterritus Romanorum celeritate Theodatus: cum neque eſſet ad bellum ſuſtinendum paratus, neque incertum vellet belli exitum expectare; pacem per legatos popoſcit, quam his conditionibus obtinuit, ut Romanis Siciliam reſtitueret, ſolidique auri coronam Imperio quotannis præſtaret. Addita quoque aliis hæc conditio fuit, ut neminem Theodatus abſque venia Romani Imperatoris, capite damnaret, ſive ſacri ordinis eſſet ſive Senatorii.

III. Mundus autem, quem Salona capta Dalmaticum fere bellum confeciſſe demonſtravimus, commiſſo iterum prælio, fuſus eſt, atque una cum adoleſcente filio interemptus. Militum multa cædes fuit, multi fugerunt, tandem Salona ipſa fuit ab hoſtibus recuperata. Quo accepto belli eventu, Theodatus ingentem exercitum parat, maximiſque injuriis Romanos legatos affectos, in vincula conjecit. Siquidem ea motus

fue-

fuerat ratione, poſſe hoc tempore bellum geri maxima cum utilitate, quoniam eſſe tantæ cladis timore minus fortes Romanos arbitrabatur. Sed hi optime ſuis neceſſitatibus conſuluerunt. Etenim Conſtantinus, regii ſtabuli Magiſter cum novis copiis expeditus, Dalmatiam ac Liburniam ſubegit; atque uno tempore Beliſarius cum claſſe Neapolim adventavit: quam viginti quidem dierum ſpatio expugnavit. At vero Theodatus adeo ſegniter bellum ſua perfidia renovatum adminiſtrabat, ut nec obſeſſæ urbi opem attulerit, nec copias ullas dimiſerit, quibus exercitum Romanum moraretur. Quare eſt primum a ſuis contemptus, quaſi prodere regnum vellet, mox etiam deſertus ab amicioribus; tandem caſtra Gothi prope Circeum montem, ubi Circen quondam habitaſſe poetæ fabulantur, collocarunt: quo in loco regem cunctis ſuffragiis Wittigem, non ſplendore familiæ nec ſanguinis nobilitate clarum, ſed inter ſuos belli laude commendatum, renunciarunt, Theodatumque fugientem interfecerunt. (4)

IV. Wittiges autem omni vi bellum cenſens proſequendum, ſuas copias Romam traduxit, ut eadem initio potiretur. Itaque non vi nec armis urbem ingreſſus, obſides a civibus imperavit, ac præſidio relicto, adverſus Francos, qui fuerant a Juſtiniano in belli ſocietatem vocati, profectus eſt. Simul ac indicis ope cognovit Beliſarius, Romam, improviſo adortam, in Wittigis poteſtatem veniſſe, eo celerrime contendit, ac per

4 Confer etiam Jornandem loc. cit.

per Aſinariam portam, ſibi non multa vi aditu patefacto, Gothicum omne præſidium per Flaminiam juſſit diſcedere. Ipſe etiam, Roma munita propugnaculis, diſceſſit, ut Gothos loca omnia vaſtantes, perſequeretur. Innumeras civitates vi cœpit, multæ ſeſe eidem ſponte dediderunt, Unilam magna clade fudit, Piſſamque profligavit. Wittiges interim potiri Urbe Roma, cum vellet, jam, contractis copiis, veniebat: quod ut ſenſit Beliſarius, eidem obviam ivit, ſignoque dato, fecit Gothis dimicandi poteſtatem. Nec recuſarunt ii: tantoque impetu Romanis ſupervenerunt, ut cum multi caderent, cæteri ad urbem vicinam, relictis ſignis, fugerunt. Sed qui in mœniis erant, Romani portas aperire fugientibus recuſarunt, ne immixti Gothi cum ſuis introirent. Qua re animadverſa, obequitans morantes Beliſarius, ſic eos ad pugnam renovandam inflammavit ut victores jam hoſteis multa edita clade profligarint. Prope urbem Wittiges dein caſtra locavit, ac ſæpe muros cum tentaſſet ſuperare, rejectus eſt; neque acris obſidionis labor eſt intermiſſus, donec pugnam pro concione Beliſarius in diem poſterum edixit. Prælio commiſſo, Romani alterius diei infamiam deleverunt: ita ut, prima pugna ordinibus hoſtium turbatis, triginta Gothorum millia uno die atque uno prælio occiſa ſint. Hac itaque illuſtri victoria reportata, ſibi Beliſarius perſuaſit, omnem jam belli gerendi curam barbaros depoſuiſſe. Nam & præter nunc demonſtratam ſtragem, multi etiam in hoſtium poteſtatem perve-

ne-

nerant, & qui a tanta cæde ſupererant, procul abiiſſe videbantur. Hinc ſcripſit epiſtolam Juſtiniano, in qua, novis primum ſubſidiis poſtulatis, eidem renunciabat, Italiam Gothis victis fuiſſe liberatam. (5)

V. Lætus hoc nuntio Imperator novos milites miſit, & novos commeatus in Italiam: qui tum pervenerunt, cum Wittiges Romam cum novo exercitu, tum vi majori tentabat. Et cum hæc obſidio longius eſſe cæteris protrahenda videretur, verens Beliſarius, ne Urbs rerum inopia vinceretur, ſenes cum pueris & mulieribus Neapolim longis navibus juſſit deportari. Ab utraque parte ſtrenue frequenterque pugnabatur, cum Gothi vacua mœnia nunquam deſeruerint, Romani ſæpe hoſtes cæciderint, ac ſæpe eoſdem in fugam coniiecerint. Sed jam Romanos pudebat, ſe domi incluſos hoſtium impetum expectare. Itaque Beliſarium, obteſtantur, ut denique ſignis collatis, unius prælii eventum experiatur. Morem gerit militibus Imperator: exſtructiſque legionibus in Vaticano, atrox pugna conſeritur: Romani tandem numero ab hoſtibus ſuperati, fuga ſibi ſalutem pepererunt. At vero eos ita hac die fugiſſe pœnituit, ut neque a provocando, neque a laceſſendo crebris excurſionibus hoſtem poſtea deſtiterint; ac magna uſi virtutis emulatione, fere quotidie de iiſdem victoriam reportarint.

IV. Hac

5 Procop. Lib. II.

VI. Hac pugnandi ratione hyeme exacta, tertius, a quo bellum gerebatur, annus adventabat. Quo quidem anno perditum iri res omnes Romanis viſæ ſunt. Nam & horrida peſtis, forte a caſtris Gothorum (hi enim hoc tempore penitus bellum deſeruerant) aut conficiebat milites, aut longa ægritudine detinebat: & fames ingens, prohibitis a Wittige commeatibus ingruerat: & aqua etiam, qua Roma ſemper ad jocos & luxuriam abundavit, veteribus ruptis operibus, quibus ducebatur, intercepta defecerat. Sed Beliſarii diligentia incredibili factum eſt, ut nec frumentum ſit unquam, nec aqua deſiderata. Itaque brevi ut vigor rediit militibus, urbem obſidione decrevit liberare. Quamobrem cum milites ſtatuto die fuiſſet longa oratione exhortatus: *ut vetere virtute aliquando finem tot malis, tot periculis imponerent: urbem obſidione, Italiam Tyrannide Gothorum liberarent*: aciem produxit, atque avido pugnæ militi ſignum dimicandi propoſuit. Non quidem prælium commiſſum, ſed immanis cædes fuit. Etenim primo impetu, ruptis Gothorum ordinibus, atque ex omni parte occiſis, pauci, qui ſupererant, perterriti ſe fugæ præcipites dederunt.

VII. Ingens hæc clades cauſa fuit, ut pacem barbari a Romanis poſtularent. Verumtamen nihil aliud iiſdem, præter breves inducias, conceſſum eſt. Interim Wittiges quot potuit milites comparat, dein apud Beliſarium de induciis ruptis conqueritur, ac ſubito Romam oppugnat: qua potiri inſidiis ac proditionibus tentavit. Sed

faci-

facile hac ratione Barbaros Roma Beliſarius avertit. Nam Ioanni, ſtrenuo viro, præcepit, ut in Picenum contenderet, ibique omnia vi & ferro vaſtaret. Quippe cum ſuis Wittiges eo conceſſurum ſperabat, itàque Urbis obſidionem relicturum. At Wittiges, conſilio penetrato, noluit ipſe Caſtra, Romamque deſerere; ſed Liteum avunculum ſuum cum nonnullis copiis poſt Ioannem dimiſit. Nec vero in caſtris diu ſtetit Wittiges: nuncio enim eidem allato, Ioannem, Liteo occiſo, exercitu deleto, pluribus oppidis captis, Ariminum expugnaſſe: caſtris ignem admovit, Ariminumque contendit. Sic Roma obſidione liberata, validoque præſidio munita, ad inſequendos hoſtes Beliſarius diſceſſit: quorum extremam aciem cum cæderet, a rege provocatus, manus debuit cum totis copiis conſerere. Diu anceps prælium fuit: denique, accitis a Beliſario extremis ſubſidiis, primum pedem referunt adverſarii: mox pluribus eorumdem interfectis, reliqui vulnerati fugerunt.

VIII. Mihi vero quidem neque illuſtris hæc victoria, neque aliæ, quas paullo ante de Gothis fuiſſe reportatas demonſtravi, ſunt admirationi; propterea quod tantam ſemper fuiſſe ſub Beliſarii diſciplina militum Romanorum virtutem animadverto, quantam nec duce Camillo, nec Fabiis, Marcellis, Scipionibus, Lucullis Imperatoribus, neque aut Cæſare, aut Pompejo præeuntibus veteres illi milites oſtenderunt. Nam cum alias ſæpe hujuſce rei ſpecimina dediſſent, tum in hoc prælio grande Beliſarii armiger Mundilas præbuit, tum, cum

cum quatuor inter Gothos fortiores, uno alteri viribus integris ſuccedente, obtruncavit. Suum iter Wittiges eſt proſequutus: Cluſium, Urbiventum, Tudertum, Petram, Auximum, Cæſenam, aliaſque urbes confirmat; Ariminum tandem obſidet. Sed & Beliſarius Mediolanum oppugnat, a quo demum, re integra, diſceſſit, cum novis adductis copiis a Narſete, ad Ariminum liberandum contendit. Poſtea iterum tentat Mediolanum. Verumtamen ad urbem revocatus non Mediolanum modo reliquit in hoſtium poteſtate, ſed etiam Ariminum amiſit; cum Eruli, quibus pene omnes copiæ Narſetis conſtabant, defeciſſent.

IX. Quinto belli anno revertitur in Italiam Beliſerius: Auximum in deditionem accepit, obſeditque Ravennam: a qua licet ab Imperatore, ſi ei videretur, eſſet hortatus, ut diſcederet, & ad pacem barbaros invitaret, noluit tamen obſidionem, principum quoque ſententiis rogatis, deſerere. Gothi interea & belli diuturnitate defeſſi, & cladibus imminuti, clam Beliſario Italiam obtulerunt. Ipſe quoque Wittiges, re cognita, literis eumdem nunciiſque præcabatur, ut ſe acclamari regem pateretur. Eſt autem huic rei Beliſarius conſtantiſſime adverſatus, ſeque regnum accepturum negavit. Quocirca, rebus ſuis conſulens Wittiges, ſe cum civibus atque urbe eidem ſponte dedidit; cujus aliæ urbes quamplurimæ exemplum ſunt ſequutæ. Hinc Beliſarius iterum Byzantium arceſſitus, eo cum magna præda, ac Wittige, & multis Gothis revertitur, ut gereret bellum in Perſas. Wittiges ab Imperatore

 ho-

honorificentiſſime exceptus, & Patricius renunciatus, poſteaquam magna uſus fuerat biennio amicitia Juſtiniani, ſummo in honore deceſſit.

X. Hic autem erat Italiæ ſtatus hoc tempore, ut Gothi regem non haberent, ac ne ducem quidem Romani. Et quamvis plures Gothi cum innumeris civitatibus eſſent in poteſtate Romanorum; tamen & qui ſupererant cæteris ferociores, & quæ urbes in eorum dominatu remanſerant, ultimam malebant belli fortunam experiri, quam dedere ſeſe Romanis. Gothi ergo Ildovaldum (6) ſibi præfecerunt: Iuſtinianus autem belli adminiſtrandi curam Beſſæ primum & Ioanni, tum Alexandro mandavit. Horum autem crudelitate & avaritia factum eſt, ut milites aſperius tractati, nec juſſa ducum exequerentur, neque alacres, ut ante, prælia ſuſciperent, nec ordines ſervarent, neque ullam tandem militaris diſciplinæ partem cuſtodirent. Quibus malis graviſſimis tanta inter duces ipſos diſcordia accedebat, ut, cum horum alter mandata militibus dediſſet, alter eadem continuo retraxiſſet, nihil aliud tandem gereretur, niſi quod militum vulgo placeret. Quocirca evenit, ut prælium nec committere duces nec milites auderent, ac ſi quando manus conſerere cum hoſtibus erat neceſſe, facile ſuperarentur Romani. Veronam itaque amittunt, omniſque etiam Italia in hoſtium poteſtatem reciddiſſet, ni orta proceres inter Gothorum fuiſ-

6 Procop. Lib. II.

fuiſſet gravis, opportunaque diſſenſio. Hac enim Ildovaldus nec comparare milites, neque inſtruere exercitus, neque eiſdem præeſſe potuit, omnino a belli cura diſtractus. Etenim cum formæ eximiæ uxor Urajæ, nobilis viri, & maxime popularis, quadam die una cum Ildovaldi uxore lavaretur, eamdem nimis ſuperbe eſt aſpernata, perinde ac ſi nullius gratiæ ac pulchritudinis mulier, digna regii thalami non eſſet. Majori affici injuria mulier non potuit, venuſtate negata. Quare apud maritum inſtat quotidie, ut tantam ſibi injuriam allatam, violatamque majeſtatem ulciſcatur; quod ſi facere id recuſaret, mortem ipſum, ultimum Gothorum regnum exitium ſubiturum. Ita rex ad vindictam ſolicitatus Urſajam interemit. Fit ſtatim ſeditio inter Gothos Urſajæ morte nunciata: ardent omnes vindictæ cupiditate, ac regem ipſum morti, cum proceribus aliis deſignant. Quare paucos poſt dies Ildovandus occiſus eſt.

XI. Poſt hæc Totilæ, viro non conſilio magis atque opere prompto, quam crudeli & ſuperbo, regnum obtulerunt. Hic, belli adminiſtrandi cura ſuſcepta, ſtatim Florentiam tentavit: quam licet poſthac, Romanis ſubvenientibus, deſeruerit; prohibitus tamen non eſt, quominus Brutios & Lucanos armis ſubigeret, Apuliam & Calabriam ſuam faceret, adventus tandem ſui fama Neapolim expugnaret. Erat jam decimus belli annus, quo Beliſarius revertit. Italiam hic totam fere eſſe Gothorum cognovit, horum eſſe Siciliam armis laceſſitam, horum claſſe maria

occupata: multum milites partim cladibus, partim deſidia imminutos, reliquos ſine diſciplina atque exercitatione. Omnibus itaque rebus, & locis exploratis, Romam primo, quam Totilas obſederat, liberavit. Sed proximo anno iterum obſeſſa, cum neque eſſet frumentum in urbe, & quod ex Sicilia veniebat interciperetur, abeundi cives quacumque vellent poteſtatem obtinuerunt. Attamen fere omnes, partim hoſtium gladio confoſſi, partim fame conſumpti, interierunt. Beliſarius, qui Lucanos & Brutios ſuam in fidem receperat, Romam cominus cum frumento atque exercitu venit. Urbem vero ingredi non potuit abſque ingenti certamine: quo cum multi eſſent e Romanis deſiderati, tum omnem ipſe tolerans militarem laborem, incidit in gravem valetudinem. Squallebat autem urbs ruinis, & infrequentia viarum, ac milites ipſi, fame & labore confecti, nulli eſſe auxilio poſſe videbantur. Sed & ad horum valetudinem, & ad urbis reparationem animum advertit Beliſarius: qui liberatus morbo diſceſſit.

XII. Interim vero Totilas in urbem noctu cum parte exercitus intravit, ſcelere militum Iſaurorum, qui portam Aſinariam cuſtodiebant. Dici ſcribendo non poteſt, quantum hæc res Urbi timorem attulerit, quantamque rerum omnium ruinam concitarit. Cives namque & milites, rumore audito, ex adverſa urbis parte, non quidem memores larium, conjugum, parentum, liberorum ſe in fugam dederunt; ſenes autem pueri, & mulieres ad Eccleſias confugerunt. Orta au-

autem luce, Pelagio ſupplicante, ſe a cædibus quidem incendiiſque Totilas temperavit: rebus tamen omnibus ædes, templaque ſpoliavit. Adeſt, certior hac de re factus, Beliſarius, urbem non multo ſanguine recuperat, quam barbaris dejectis ſæpe poſthac defendit ac liberavit. Longius deinde progreditur, & inter alias urbes, Spoletum quoque & Tarentum occupavit.

XIII. Beliſarius ad Urbem hoc tempore, nondum bello confecto, (7) ſive a Juſtiniano revocatus, ſive honeſta miſſione impetrata, revertitur. Tunc omnis Totilæ armis ceſſit Italia, militibus inſpectantibus. Romam quoque Totilas expugnavit, non quidem ut eam vaſtaret, ſed, muris turribus atque ædificiis reſtitutis, civibus & Senatoribus revocatis, equeſtri etiam certamine conſtituto, atque exercitu luſtrato, in veterem ſplendorem ſuum vindicaret. Quibus peractis, pacem a Juſtiniano poſtulavit, qui non eam modo negavit, ſed etiam cum inſtructo exercitu Germanum expedivit: qui tamen dum vincendi occaſionem expectabat, mortuus eſt. Quare decimo ac ſeptimo belli anno (8) Narſes Eunuchus, vir quidem ſtrenuus ac fortis, atque in ſcientia rei militaris ſupra cæteros eruditus, (9) cum juſto exercitu, accitis etiam a Longo-

 bar-

---

7 Anno 23. Imperii. Jornandes de Regno Gothor. & de Temporum Succeſſ. Procopius loc. cit.

8 Anno Imperii 24. Anaſtaſius Hiſt. Eccleſ.

9 Vide Agathiam.

bardis auxiliaribus copiis, (10) in Italiam pervenit. Hic ſibi perſuaſit, bellum eſſe uno tempore in locis disjunctiſſimis gerendum, ut celeritate & magnitudine præſto ubique eſſe cum totis copiis barbari non poſſent. Hinc Ioanni claſſem dedit, ut maritimum bellum conficeret, & maria & portus ad liberos commeatus occuparet: Arthabano Siciliam commendavit, ut eam ſubito invaderet: Romam denique ipſe contendit. Bellum itaque uno tempore adverſus Gothos terra marique gerebatur. Joannes paucis præliis hoſtium claſſem delevit: barbaros e Sicilia poſt multas clades ejecit Arthabanus: Narſes tandem non Romam modo e manibus hoſtium eripuit, ſed Cumam quoque expugnavit, Lucam in deditionem accepit, multaque Thuſciæ munita caſtella ſuperavit.

XIV. Quare Totilas omni claſſe amiſſa, maritimis civitatibus ſpoliatus, ſibi eſſe fortunam belli tentandam arbitrabatur. Obviam ergo Narſeti proceſſit fretus multitudine barbarorum, milites multis verbis, etiam increpando, exhortatur, canere tandem ſigna imperavit. Narſes contra hanc oblatam ſibi belli occaſionem non recuſat, milites inflammat deinde, ut ſe ſtrenue gerant in hoc bello, quod futurum ultimum ſperabat: Intuemini milites, inquit, *quam faveat nobis ſors belli, quid veſtri commilitones egerint in Sicilia, quanta denique facilitate fuerit hoſtium claſſis ſuperata. Quid nam quæſo timetis? Virtutem hoſtium*

---

10 Paulus Diaconus De Geſtis Longobardorum Lib. II

ſtium fortaſſe, an multitudinem barbarorum? At hi ſæpe victi ſunt, ſæpe ſunt a vobis profligati. Quid? Totilam ne pertimeſcitis? Totilam, inquam, quem in fugam toties conjeciſtis, toties ex urbibus expuliſtis? Nunc autem, quæ olim veſtra virtus fuerit, conſiderate. Non dicam ego a vobis Perſas barbaros, feroces, crudeles, infinitos eſſe devictos: Herulos & Gepidas domitos, aliaſque immanes gentes ſuperatas; ſed de Italia dicam ſolummodo, quam victoriis & armis recuperaſtis, & pene nunc omnem tenetis. Quid enim reliqui eſt? Claſſem quidem nullam hoſtes habent, pauca loca occupant, portus noſtri ſunt, penitus e Sicilia defecerunt, Romam denique ipſam recuperavimus. Macte ergo virtute milites eſtote, & fortunam veſtram ſequimini. Pigeat jam veſtrum, equites pediteſque, non fuiſſe Gothos ex Italia dejectos tot annis, tot prœliis, tot militibus, tot laboribus. Vos enim Vandalos Africa ſpoliaſtis menſibus nonnullis, Mauritaniam vero una tantum excurſione recuperaſtis. Quid de Perſis dicam, quos uno tantum prælio in ſuos fines repuliſtis? Quamobrem, milites, ſi in aliis ſemper, maxime in hoc bello fortiter eſt dimicandum, ne liberata a nobis Italia, tandem ſit deſerenda. Hæc cum Narſes dixiſſet, ita milites exarſerunt, ut vix ſigno propoſito, commiſſoque certamine, Gothi cæſi undique & vulnerati ducem, prælium, caſtra deſeruerint. Equites citato curſu telis fugienteis inſectantur, quorum & magnam partem interimunt, & ipſum Totilam, haud Romanis cognitum, vulnerant: quo ipſo vulnere

Capreis non multo poſt mortuus eſt.

XV. Italiam Narſes totam, hac illuſtri victoria reportata, peragravit: atque urbes omneis, pulſis præſidiis barbarorum, in deditionem accepit. Tum ii, qui ſupererant, ſupra Padum caſtris collocatis, Regis nomen Tejæ viro forti dederunt. Quare cum hic eſſet denique vincendus, a Narſete ad bellum paucis poſt diebus provocatur. Diſpoſitis hinc ad pugnam ordinibus, cum Gothi ſpe reſtituendi regni ſui fortiter pugnarent, Romani ne Italiam, quam vicerant omnem, amitterent, atrox prælium & dubium factum eſt. Multa cædes in utroque exercitu fuit, virtus utrinque par: nec duces, nec milites aliquid conſilii, diligentiæ, fortitudinis omiſerunt, ne primi victas manus hoſtibus darent. Nunc enim, quo magis difficile erat certamen, ſe conferunt, nunc milites excitant, nunc rem inclinatam reſtituunt. Tejas tandem munus ducis ac militis obiens, dum cædendo hoſti intentus erat, interficitur, telo in pedem nudatum immiſſo. Caput a Romanis corpore exciſum, fuit haſtæ ſuperimpoſitum: quod ut Gothi animadverterunt; caſum regis pleranteis, irati pugnam renovare non dubitarunt. Morem gerunt hoſtibus Romani: ordines denuo utrinque miſcentur: multi occidunt, multi vulnerantur: feſſi tandem omnes labore & vulneribus, nimium jam nocte appropinquante, prælium deſeruerunt. Caſtra uterque exercitus ſubit: ac nil temporis quieti, nil ſomno dato, noctem omnes in armis conſumpſerunt. Erant quippe Romani ad occurrendum hoſtibus para-

parati, ſi aliquid favore noctis molirentur; Gothi vero, quid eſſet nova luce agendum, cogitabant. Simul ac dies apparuit, inconditis carminibus Gothi celebrant victores Romanos, dein legatos mittunt ad Narſetem, qui pacem ab eodem implorarent, eumdemque obteſtarentur: vellet Gothorum reliquiis veniam dare, qui & regno & Italia & rebus omnibus ſpoliati, partim adverſis rebus afflicti, partim etiam vulnerati, nec Romanis eſſe impedimento poterant, nec dimicare unquam poſtea cogitabant. Humaniter legatos Narſes tractavit, & veniam barbaris conceſſit; hac conditione tamen, ut ſuis quiſque rebus avectis, ex Italiæ finibus diſcederent, neve ſe poſthac Romanis adverſaturos jurarent. Qua re, Italia a Gothis omnino liberata, bellum longum, ingens, & varium finem accepit. (11)

XVI. Atque hîc ego conſiſtam, nec de aliis bellis verba faciam, quæ & dubia ſæpe & longiſſima fuerunt. Licet namque Bulgaros Juſtinianus Thraciam populantes devicerit: (12) Sclavos, Medos, Hunnos, Gepidas, Herulos ſuperàrit (13), Italia Francos dejecerit (14), Mauruſios

11 Procopius, Agathias.

12 Sigibertus in Chron. ad A. C. 539.

13 Procop. Lib. III. Bell. Goth., Agath. Lib. V., Jornand. cap. 15., Theophan., Zonaras, Cedrenus.

14 Procop. l. c., Agath. Lib. II., Paulus Diacon. de Geſt. Long. Lib. II. cap. 1.

ruſios ſubegerit (15), Parthos profligarit, (16) Zanos populi Romani vectigales effecerit (17), Anticos triennio domuerit (18), Miſimianorum copias delerit (19): Judæos rebellantes cæciderit (20), aliaſque feras gentes, aut penitus ſuſtulerit, aut poſt ingentes clades ſocios ſibi amicoſque reddiderit, atque eſſe Populi Romani vectigales coegerit; (21) nullum tamen ex his tam magnum fuit, quod & diuturnitate, & magnitudine, & atrocitate ſit vel cum Perſico aut Vandalico, vel cum Gothico comparandum.

L. I-

15 Proc. Lib. II. Bel. Perſ.
16 Jornandes l. c.
17 Agath. Lib. V.
18 Procop. Lib. III. Bell. Goth.
19 Agath. l. c.
20 Cedrenus.
21 Vide Novell. I., XXVII., XXX., & Variar. Caſſ. Lib. XI. epiſt. 13.

LIBER VIII.

De Legum Collectione atque Emendatione, item Digeſtis, Codice, Inſtitutionibus & Novellis.

ROma initio a Regibus, poſtea ab annuis Magiſtratibus, denique ab uno Imperatore gubernata, tot leges habuit, ut harum ſæpe mole nimium laboraſſe videatur. Cum enim duplex eſſet legum rogandarum poteſtas (1), quarum altera res ſacras, altera res civiles complecteretur; leges pene infinitæ & de rebus divinis, & de humanis fere quotidie condebantur. (2) Nam, ut ego illa prætercam, quæ Reges

1 *Cicero in Partitionibus.*

2 Numa Pontificibus ſacra omnia cum maximo jure commendavit (Dionyſius Lib. II. cap. 73., Plutarchus in Numa) cujus rei extant exempla apud Ciceronem de Aruſpicum Reſponſis, de Divinatione, de Legibus, Livium ſæpe, Valerium Maximum, & Macrobium. Leges Pontificum *Jus Pontificium* a veteribus dictæ

Digitized by Google

ges de ſtatu Urbis, de civium conditione, de auſpiciis, de cæremoniis, comitiis, provocationibus, equitum peditumque deſcriptione, de agris, de militia, de pœnis conſtituerunt: atque illas etiam leges omittam, quæ, Roma in libertatem vindicata, a ſuis magiſtratibus accipiebat; adeo novis e Græcia allatis tabulis creverunt, ut neque in iis ſimplicitas, partim corruptis, partim mutatis, partim etiam in uſum revocatis (3), nec vetus ſanctitas ulla conſpiceretur.

II. Ac licet ſæpe leges plurimas rerum ipſa neceſſitas poſtularet, tum cum aut populis devictis, novi magiſtratus creabantur: aut, novis opibus acquiſitis, longinqua negotiatio ſuſcipiebatur: aut civeis luxu & ignavia corrupti, frena libidinibus laxabant; ſæpius tamen leges vitio interpretum, ſuperbia Prætorum, invidia Tribu-

dictæ ſunt, quas Pontifices ipſi longis commentariis locupletarunt. De hoc mentio apud Varronem Lib. V. de Lingua Latina, Ciceronem Tuſculan. Lib. I., De Orat. Lib. 1., in Bruto, & pro Domo ſua, Macrobium, Gellium Lib. II. Noct. Att. cap. 28., & apud Eumdem Sylla Lib. I. cap. 12., Victorem de Origine Gentis Romanæ, & Scholiaſtem Virgilii in Eglogam X. Nam & Coruncanius, & Capito, & Varro, & Cæſar, Trebatius, & alii Commentarios de Jure Pontificio compoſuerunt. De *legibus Augurum, Aruſpicum, Saliorum* Macrobius Lib. II. cap. 2., & Lib. III. cap. 2., Cicero de Senectute, Pro Domo ſua, de Divinatione, Varro Lib. IV. & V. *De Jure Feciali* extat mentio apud Tullium de Off. Lib. III. & Livium ſæpiſſime.

3 Macrobius Saturnal. Lib. III. cap. 17.

bunorum ſcribebantur. (4) Quare cum leges multæ & de divinis rebus ac militaribus, & de civium, libertorum, ſervorumque conditione, & de populo, plebe, ſenatu, ac magiſtratibus, & de regnis victis, provinciiſque occupatis, rerum acquiſitione, translatione, contractibus, ludis, criminibus, pœnis eſſent latæ: innumeræ fere moribus inoleviſſent: aliæ tandem correctæ; aliæ abrogatæ, aliæ in uſum fuiſſent revocatæ; Cæſar, Pompejus, & Tullius de digerendis iis; & in quamdam artem revocandis cogitarunt. (5) Sed tamen hi viri doctiſſimi, vel aſperitatibus rerum, vel anguſtiis temporis prohibiti, obſcuram hanc legum molem intactam, inviolatamque reliquerunt.

III. Interea ſtatu Reipublicæ everſo, res omnes ad unum redierunt. Tot hinc aliæ leges veteribus acceſſerunt, ut dubitari optime poſſit, num plures eædem libera republica, an ſub Imperatoribus fuerint promulgatæ. Si enim tum, cum reſpublica ita adminiſtrabatur, ut quidquam agere nemo poſſet, niſi rem aut plebs, aut po-

plu-

4 Cicero in Orat. pro Domo ſua, de Legibus Lib. II. & III., de Oratore Lib. I. & III. in Orat. pro Murena. Juſtinianus in Conſtitutione *de Veteri Jure Enucleando*.

5 De Pompejo teſtis eſt Iſidorus Origin. Lib. V. cap. 1., De Cæſare tum Iſidorus, tum Svetonius cap. 44. Cicero autem id opiulatur in primo de Oratore, & ſcripſiſſe librum *De Jure Civili in artem redigendo*, Gellius Lib. I. cap. 22. teſtatur. Vide Quintilian. Lib. IV. Inſtit. cap. 1. & Lib. XII. cap. 3.

pulus, & collegæ, & ſenatus approbaſſet, tot quotidie leges ſcribebantur: quid uno rempuplicam tenente factum fuiſſe cogitamus? Tunc enim Plebis, Populi, Pontificum, ac Magiſtratuum jura uno Imperatore exercente, omnia ab ejus arbitrio pendebant (6): tunc Senatus gravitate in adulationem converſa, principum voluntati Patres, Conſuleſque obſequebantur (7): tunc juriſdictione Prætorum circumſcripta, Tribunis Plebis deletis, Cenſoria libertate prolapſa, non ea ſolum, quæ Principes interrogati per epiſtolam reſpondebant, vel ſtatuebant edictis, vel judicando decernebant, leges erant; ſed quæ etiam ipſis placuerant interloquendo. (8) Quare cum Rempublicam univerſam pervertiſſent, omnium ordinum ſtatum, civiumque conditionem mutaſſent, denique multa reſpondendo, edicendo, judicando præcepiſſent, factus eſt legum numerus propemodum infinitus. Sed quid plura commemoro? Quaſi ita eſſent obſcuræ latæ leges, ita numero paucæ, ut nec ſine perpetua interpretatione, nec ſine longis commentariis poſſent intelligi, libris omnibus, Pauli, Gaii, Ulpiani, Papiniani aliorumque vis legum eſt data (9). IV. Qua

6 Optime Sex. Aur. Victor de Cæſaribus in Auguſto: *Anno Urbis*, inquit, *ſeptingenteſimo fere viceſimoque ſecundo, etiam mos Romæ inceſſit uni prorſus parendi*.

7 Panegyricus Plinii ad Trajanum.

8 Ulpianus in Leg. I. D. de Conſtit. Principum, Juſtinianus Tit. II. Inſtit. §. 6.

9 Lex I. Cod. Theod. de Reſp. Prud.

IV. Qua de re, ut fieri neceſſario debebat, cum magnitudo legum fraudi erat, tum etiam ſtudia multorum retardabat. Nam ſi quis ea ætate volebat ſapiens Juriſconſultus videri, præter ſacras leges, quas eſſe juris civilis partem majores voluerunt, atque eas omnes, quas ab urbe condita Reges, Plebs, Populus, Senatus, Imperatores tulerant: præter Tabulas Prætorias, Ædilium Edicta, moremque civitatis, ſcientiam tandem rerum judicatarum: (10) ſcripta quoque prudentum omnia erant eidem perdiſcenda. (11) Hi namque ſummi ingenii viri, ac plane docti, non ſolum libros de inſtituendis actionibus, & formulis interpretandis compoſuerant; ſed etiam, diſputando acutiſſime, longos addiderant legibus commentarios: qui & erant ſtudioſis utilitati, & magnam in foro auctoritatem obtinebant. (12) Qua-

10 De his Tullius in Orat. pro Cluentio, & in Lege 37. D. de Legibus Calliſtratus, & Quintilianus Lib. V. Inſtitut. cap. 2.

11 Sic apud Tullium inſtituendus orator, & apud Athenæum Lib. I. Vide Pomponium l. c. §. 12., & Papinian. in leg. 7. D. de I. & I. Interpres Tituli III. Βασιλικων ad Legem 60. : ἔξ δὲ παρὰ Ῥωμάιοισ νομοθέται: δῆμος, χυδᾶιος δυῖμος, σύγκλητος, βασιλεύς, ἄρχοντεσ τῆσ Ῥώμης, ΣΟΦΟΙ. Tullius in Topicis: *Ut ſi quis*, inquit, *jus civile dicat id eſſe, quod in legibus, SCtis, rebus judicatis, Juris Peritorum auctoritate, edictis magiſtratuum, more, æquitate conſiſtat*.

12 Horum integram notitiam habebis tum ex Pomponio, tum ex indice τῦ πανδέκτυ Florentini cum notis Antonii Auguſtini (extat in Theſauro Ottonis Tom. 1.) & cum animadverſionibus A. Fabricii (Extat Biblioth. Græ-

Quamobrem in jure cognoſcendo ac pertractando ſtudium omne ſuum pauci ponebant: & qui non erant tot tantiſque difficultatibus perculſi, imi eſſe ſubſellii prudentes videbantur. Hac igitur ratione puto, Hermogenem ac Gregorium nonnulla ſtudio domeſtico edicta Imperatorum collegiſſe: cum de Theodoſio minime dubitetur. Ideo namque Theodoſius Imperator ſuas, & quorumdam Imperatorum leges in quamdam veluti ſedem collocavit, ne diſperſæ ſine auctoritate vagarentur, neve fraudis occaſionem, juriſque negligendi ſuppeditarent.

V. Attamen quale eſt foris intuentibus parvum aliquod pratum in ſilvis peramplis, ut ne conſpici quidem poſſit, tales erant hi *Codices* inter leges innumeras collocati. Quapropter licet ipſi multas difficultates ſuſtuliſſent, quemdam legibus ordinem, rebus ſeriem dediſſent; erat tamen prorſus neceſſarium, & in legum veterum ſquallentem ſilvam manus inferre (13); ac res omnes

Græcæ Vol. XII. pag. 330.) tum ex Commentariis de Veteribus Ictis Panciroli, Torrorelli, Grotii, Rutilii, Bertrandi, Forſterii, Gravinæ, Heineccii, aliorumque.

13 Sic Tertullianus Apologet. cap. 4. De Romanarum legum multitudine Livius Lib. III. cap. 14., Eunapius, Marcellinus, Leo in procemio βασιλικ., & Juſtinian. de Veteri Jure Enucl. Paulus Diaconus De Geſtis Longobar. Lib. I. cap. 2.: *Leges quoque Romanorum, quarum prolixitas nimia erat, & inutilis diſſonantia mirabili brevitate correxit*. Quare hæc legum συλλογὴ καὶ ἀνάκρισις erat hoc temporis neceſſaria. Vide Jacobum Gothofredum in Prolegom. ad Codicem Theodoſ. cap. 1.

omnes uno ordine, atque uno tempore pertractare. Nemo autem ex Romanis Imperatoribus exſtitit a Theodoſio ad Juſtinianum, qui rem hanc omni pacto neceſſariam tentarit: quin contra ipſi leges alias multas condiderunt. Hæc, evecto ad Imperium Juſtiniano, princeps ejus cura fuit, quam quidem viris doctis commendavit; atque ut facilior eſſet juris emendatio, non modo jus honorarium cum civili conjunxit; ſed etiam alias ipſe leges condidit, ac tyronum gratia quatuor libris colligi artem juris univerſam imperavit. De quibus ego rebus ſic agam, ut primum de antiquo jure breviſſime, mox de imperialibus conſtitutionibus, poſtea de inſtitutionibus, tandem de novis legibus ediſſeram.

VI. Cum multæ leges eſſent latæ Republica florente ad uſum vitæ, civiumque utilitatem neceſſariæ: ac multæ poſtea fuiſſent ab Imperatoribus promulgatæ, aliæ ex conſuetudine manaſſent, has fere omnes libris ſuis viri ſapientiſſimi illuſtraverant. Id ſibi dudum menti præfixerat Juſtinianus, ut has veteres leges correctas & amputatas, atque ad mores ſuæ ætatis traductas, paucis libris digeſtas, artificioſe componeret. Quare, cum neque vetera illarum monumenta amplius extarent, neque ab uno omnes fuiſſent explicatæ, erant hæ leges profecto ex commentariis prudentum eruendæ. Licet autem rei difficultas quammaxima obſtaret (duo enim millia (14) voluminum ſupererant); noluit tamen

 Ju-

14 Plures jam ſua ætate fuiſſe prudentum Libros, Tullius in Epiſtola 19. ad Trebatium Lib. VII. teſta-

Juſtinianus dubitare, quin hæc & ſumma cura, & diligenti labore ſuperaretur. Tribonianus, vir ſine dubitatione doctiſſimus, ea tempeſtate florebat, aliique clariſſimi & ornatiſſimi viri, qui ingenio & uſu præſtanteis, ad magnos honores Reipublicæ pervenerant. (15) His igitur ad ſe vocatis, & qui aberant ad urbem arceſſitis, ſuam cum iiſdem juris emendandi voluntatem communicavit, contrahique paucos in libros juſſit leges Imperatorum. Quo facto, hi libri *Codex* Juſtiniani dicti ſunt: de quo commodius poſtea loquemur.

VII. Anno itaque Imperii ſui tertio Juſtinianus, Lampadio & Oreſte Coſſ., jam *Codice* ad finem perducto, iiſdem, quibus fuerat uſus, aliiſ-

---

tur. Confer Leg. 1. de Vet. Jure Enucl. Juſtinian. in Conſtit. de Confirmat. D. *Sed cum omnia*, inquit, *percontabamur a præfato viro excelſo* (Triboniano) *ſuggeſtum eſt duo pene millia librorum eſſe conſcripta, & pluſquam tricies centena millia verſuum* (ſcilicet στίχων vel παράγραφων, quæ κῶλα Græci vocant, membra latini. Vide Contium Subſeciv. Lect. cap. 8., & Bynkerſhoek Obſervat. Jur. Rom. Lib. V. cap. 15.) *a veteribus effuſa: quæ neceſſe eſſet omnia & legere & perſcrutari, & ex iis, quod optimum fuiſſet eligere.*

15 Tribonianus Prætor & Quæſtor, ἑλληνὺπήρχε, καὶ ἄθεος gentilis fuit, & Atheus, ſi Svidæ credendum eſt. Avaritiæ & aſſentationis tum ab Arcana Hiſtoria cap. 13., tum a Svida, tum ab Harmenopulo πρόχειρος νομῶν Libr. I. tit. 1. §. 8., tum a Matthæo Blaſtare in præfat. ad Syntagma Canonum accuſatur. A Procopio autem Lib. I. Belli Perſici humanus, doctus, mitis inducitur, & qui in ſectando lucro juſtus erat. Eichelius Tribonianum defendit.

aliiſque hominibus eruditis mandavit, ut ex prudentum libris, quos omnes comparaverat, jus vetus eruerent, atque in paucos libros digererent. Juſſit autem Imperator, ut ex tot veterum prudentum libris non aliud mutuarentur, præter neceſſaria. Quo in delectu faciendo, ita ſe gererent, ut ex libris nec uſitatis, nec approbatis nihil in ſuos transferrent: (16) ἀντινομίας & ſimilitudines fugerent: leges abrogatas non renovarent: tandem Perpetui Edicti ordinem imitarentur. Itaque in Imperiali palatio introducti, tanta hoc opus celeritate confecerunt, ut, quod ad exitum perduci niſi multis annis haud poſſe videbatur, quatuor tantum fuerit abſolutum. Nam & anno ſeptimo Imperii prodiit, &, quo ſolus ipſe erat tertium Conſul, evulgatum. (17) Fuit omne in libros quinquaginta diſtributum, qui & titulis nonnullis, iiſdemque diverſis diſtinguuntur: ac veteribus nominibus *Digeſta* a digerendo, *Pandectæ* a legibus ex omnium prudentum libris depromptis, dicti ſunt. (18) Vix autem Digeſta prodierant, cum vim legum omnem obti-

16 Trebatii libri *minus erant frequentati*, Tuberonis autem *parum grati*, ut Pomponius §. 45. & 46. teſtatur.

17 A. C. 534., Ind. XII., menſ. Decemb.

18 Confer Carolum Selvaghium De Pandectarum Origine & Præſtantia Tom. I. Theſauri Juris Ottonis. Paulus Diaconus. *Rurſus*, inquit, *Juſtinianus ſingulorum magiſtratuum ſive judicum leges, quæ uſque ad duo millia pene librorum erant extenſæ, intra L. librorum numerum redegit: eumdemque Codicem Digeſtorum ſeu Pandectarum vocabulo nuncupavit*.

tinuerunt; ita ut leges in iiſdem concluſæ, in judiciis, in teſtamentis, in contractibus obſervarentur.

VIII. Putant viri docti, Digeſta non modo ab eodem Thalaleo, qui ſuam in his componendis operam ſtudiumque locaverat, e latina in græcam linguam fuiſſe converſa; ſed hujus quoque verſionis in *Baſilicis* magnam adhuc partem ſupereſſe. (19) At noſtris fere temporibus, dum Piſa capta, vetus quidem, ſed ætatis incertiſſimæ exemplar eſt adinventum (20), multis ſunt leges omnes, longiſque commentariis oneratæ. Quæritur a viris doctis, quid tandem fuerit, cur tam variæ ac diſcrepanteis lectiones, cum in Digeſtis, tum in reliquis juris libris deprehendantur. Qua in re fateor, omnia & exemplarium corruptioni, & avidis grammaticorum manibus eſſe tribuenda. Etenim cum hi libri ad fidem ſcriptorum exemplarium ederentur, diſcordiæque non-

19 Vide Suareſium in Notitia Βασίλ., & Fabricium Biblioth. Græca Vol. XII. pag. 358.

20 Πανδεκτης Florentinas Authenticas eſſe Politianus exiſtimavit. Id Alciatus & Samuel Cocceii negarunt. Antonius Auguſtinus omnes quot extant nunc libri Juris civilis fuiſſe ex Florentinis deſcriptos putavit. Lipſius De recta Pronunciat. Lat. Linguæ cap. 12. ait *Pandectas ſaltem Florentinos* (*quorum ætatem pauci libri ſcripti æquaverint*) *inſpice &c.*. Leunclavius antiqniſſimas eſſe cenſuit, ſi non ætatis Juſtiniani, nec πρωτότυπον Triboniani. Vide B. G. Struvium Hiſtoriæ Juris cap. 5., & quos allegat Fabricius Biblioth. Latina Tom. 1., Lib. IV. cap. 10. Quæ quidem controverſia non ita pridem fuit a viris doctiſſimis in lucem revocata.

nonnullæ, legerentur, tantum ferro medicina ab interpretibus eſt parata (21).

IX. Loquar nunc de illa veteri eruditorum hominum querela, qua dudum horum libri reſonarunt. Queruntur enim non pauci, Juſtinianum, eo quod juſſerat, leges veteres eſſe ex commentariis prudentum repetendas, uno eodemque tempore præcepiſſe, ut hi libri, hoc pacto lacerati, penitus diſperderentur. Ac, ſi mihi uti exemplis liceret, ſic profecto reſponderem, ſolam temporis diuturnitatem ſat eſſe ad omnium quoſcumque libros, artificiave obruenda. Sed quoniam longam eſſe mihi interdictam orationem animadverto, & certum eſt contra, Juſtinianum libros hoſce incorruptos reliquiſſe; quid tandem eſt, cur de temporis vitio dubitemus? Neque vero poſſum ego cogitare, neque alius quiſquam exiſtimabit, hanc prohibere debuiſſe collectionem Juſtinianum, hoc timore ſolummodo librorum amittendorum. Quamvis enim hi libri maximam nunc nobis afferrent utilitatem, & voluptatem; id potiſſimum erat tunc temporis neceſſarium, ut certis quibuſdam finibus veteres illæ leges concluderentur. Tandem ſi tum pro nihilo ducebantur prudentum libri, ſi a paucis conſulebantur, ſi a nemine legebantur; nonne brevi omnes concidiſſent? Quare ita cum viris doctis nonnullis de re hac eſſe credendum intelligo, ut ex tot

21 Anton. Auguſtinus in Procem. Emendat. & Opinionum.

libris prudentum nobis partem aliquam Juſtinianus reſervarit (22).

X. Nemo vero cenſeat, velle me de ſingulis vitiis diſputare, quæ & tam multa & tam gravia nonnulli in his libris deprehenderunt. Etenim cum ab utraque parte multa ſcripta ſint, ut libri innumerabiles demonſtrant, multa parum apta & inconcinna, multa dicta in Tribonianum contumelioſe fuiſſe, nemo quidem eſt, ut opinor, qui ſua ſponte non videat. Emblemata enim a Fabro, Vetramio, Ræverardo, Wiſenbachio cognita, Nævos a Thomaſio repertos, Inutilitatem ab Hotomano celebratam, ἀντινομίας, tandem ſic veteribus commendatas, jam pridem homines & doctiſſimi & eruditiſſimi refutarunt. (23) Quid autem dicam de horum librorum obſcuritate? Ex qua pridem plerique exiſtimarunt, innumerabileis illas juris controverſias, quibus nunc improbe fatigamur, prodiiſſe: cum ea legum vitio vertant, quæ ſunt interpretum luxuriæ tribuenda. (24) Quid de ordine rerum, erroribus in hiſtoria, legibus repetitis, falſis definitionibus? Quæ quidem ſemper tanti eſſe mihi facienda

22 Viglius Zuichemus in Præfat. ad Theophili Inſtitutiones, Conradus Ritterſhuſius in Proœmio ad Sententias Julii Pauli, & Antonius Schultingus in Oratione de Triboniano, Juſtinianum defendunt.

23 Franc. Connanus, Gregorius Lopez, Joan. Wibo, Cornelius Van Bynkerſhoek. Vide Lipſium in Satyra Menippea.

24 Vide M. A. Muretum in præfat. ad Commentarium quatuor Titulorum Digeſti.

da putavi, quantum ſunt illorum deſpiciendæ voces, qui Triboniani famam immerito, ac ſine teſte lacerarunt. Denique inter eruditos diſputatur, an perpetui edicti ordinem Tribonianus obſervaverit, ſicut juſſerat Imperator. Sed nodum, ut dicitur, in ſcripo quærunt, qui de hac re diſputant; ac valde ii mihi videntur errare, qui negant; quoniam jamdiu omnes Edicti libri interciderunt. Verbi enim controverſia torquet doctos homines, contentionis cupidiores, quam veritatis. (25) Quamobrem, ut opinor, eſt neceſſarium, hos Pandectarum libros commendare, tum ob illa, quæ nobis vetera monumenta reſervarunt, tum ob ingentem, quam præſtant, utilitatem.

XI. Nonnulla jam Principum edicta, ut demonſtravimus, & Gregorius, & Hermogenes, & Theodoſius collegerant, ne ſine auctoritate diſperſa vagarentur. Horum ergo ſequutus exemplum

25 Edictum Perpetuum reſtituere ſunt conati Jacobus Gothofredus, Guilelmus Ranchinus, I. G. Heineccius, fere ad ordinem Pandectarum. Cajus Inſtitutiones ſuas ad ordinem Edicti compoſuit. Quare & Duarenus Lib. I. Diſput. Anniv., & Schultingius in Præfat. ad Juriſpruden. Ante-Juſtinianeam ſeriem edicti Tribonianum obſervaſſe cogitarunt. Hermogenianus quoque Epitomes ſuas ad Perpetui Edicti ordinem compoſuit, ut ipſe fatetur in leg. 2. D. de ſtatu hominum. Hæc mihi placet opinio, ut Edictum Tribonianus obſervarit, cum fuit commodum, ut etiam Bynkerſoekius cogitavit. Cæterum Leoni, ut eſt in Proæmio Βασιλικῶν integer pandectarum ordo non placuit. Vide Heineccius in Hiſtoria Edicti Perpetui cap. 4.

plum Juſtinianus primo ſui Imperii anno præcepit, ut Romanorum Principum leges uno libro artificioſe concluderentur. Neque vero defuit, quominus ipſe daret leges aliquas, certamque perſcriberet Triboniano rationem, ut non longus Codex, moleſtuſque efficeretur. Namque & inutilia eſſe amputanda imperavit; atque ea omnia reſecanda, quæ nec moribus ætatis conveniebant, neque erant ad vim legis percipiendam accommodata. Itaque & exordia, & ſimilia, & quæ fuerant aut omnino abrogata, aut in parte mutata, locum quidem nullum in ſuo Codice habere voluit; ac etiam Triboniano mandavit, ut, quæ obſcura videbantur, explicaret: quæ contraria, conciliaret: verbis tandem & ſententiis adderet ac detraheret, quæ expediebant.

XII. Uno eoque integro anno Codex eſt abſolutus, prodiitque idibus Aprilis Decio Conſule, cum idibus Februarii anni ſuperioris tantum opus Triboniano ſociiſque fuiſſet demandatum. *(26)* Duodecim autem libris eſt diſtinctus, quorum varios quiſque titulos complectitur, quibus nonnulla edicta Imperatorum continentur. Multum in eodem perficiundo viros doctos laboraſſe exiſtimamus, cum ob temporis rationem cognoſcendam, qua fuerant leges conditæ, tum ob infinitam rerum legumque varietatem.

XIII. Sed cum eo tempore, quo Inſtitutiones

26 A. C. DXXIX. 11. Indict. VII. 16. Kal. April. eſt in Chron. Paſch.

nes & Pandectæ componebantur, quinquaginta rerum dubioſarum definitiones, multaſque juris veteris correctorias leges Juſtinianus promulgaſſet; iis abſolutis, quibuſdam ex prudentibus illis imperavit, ut Codicem, in quem etiam multi errores irrepſerant, iterum componerent; ſuæque eidem leges ac deciſiones insererentur. Nihil igitur fuit ſtudii, laboris, diligentiæ prætermiſſum, ut Codex tandem prodiret expolitior. Hinc Conſule quartum Juſtiniano, ſub hujus anni finem novus Codex eſt abſolutus: quem *Codicem repetitæ prælectionis* nuncupavit. (27) Dubium vero non eſt, quin etiam Codex fuerit in Græcam linguam translatus: cujus quidem verſionis veſtigia, licet onuſta commentariis, extant etiam nunc in Baſilicis (28). XIV. Qua-

27 Lampadio & Oreſte Coſſ. Codicem promulgatum, ſcriptum eſt in Chron. Paſch.: Theophanes hæc habet: *VII. Indict. XII. Auguſto IIII. & Paulino Coſſ. His Coſſ. relevatus eſt Juſtinianus Codex, eidem adjunctis poſt illius editionem factis conſtitutionibus: juſſumque eſt, ut priore illa editione antiquata, vim & auctoritatem obtineret.* Paulus Diaconus: *Omnes Conſtitutiones Principum* (Juſtinianus) *quæ utique in multis voluminibus habebantur, intra XII. libros coarctavit: idem quoque volumen Codicem Juſtiniani appellari præcepit.*

28 Græcum Codicem ſe vidiſſe narrat Adamæus Svalembergius in præfatione ad Harmenopuli πρόχειρον. Marquardus Freherus in Epiſtola Dedicatoria Juris Græco-Romani Leunclavii: *Et hinc eſt*, inquit, *quod non modo totum Juſtiniani codicem illa tempeſtate græce converſum quidam teſtantur Svalembergius, Antonius Contius, Cuiacius, quem & ipſi vidimus, ejuſque interpretem κωδικεύτην dictum legimus*. Vide Suareſium & Fabricium Biblioth. Græca Vol. XII. pag, 366.

XIV. Qualis hic eſſe debeat Codex, jam ex ſtudio tot doctorum hominum, atque ex ſecundis curis diligentiaque cognoſcitur. Plurium tamen errorum accuſatur Tribonianus, a quibus vindicari facile non poteſt. Nam & de omiſſis nonnullis conſtitutionibus, quæ cum in Theodoſii Codice ſuperſint, utiles ac neceſſariæ judicantur, eumdem non excuſas; niſi aut iis ſimiles alias extare, aut juri novo contrarias demonſtres: & de corruptis ab eo legibus quibuſdam ac reſciſſis, ratio non redditur; niſi factum Juſtiniani approbatione fuiſſe contendamus: & a negligentia in Inſcriptionibus referendis non defenditur; niſi ad anguſtiam temporis confugeris. Quæ autem de hujus Codicis vitiis dicta ſunt, libenter prætermitto, ne in illam ego neceſſitatem forte deveniam, Triboniani excuſandi. Quare ad inſtitutum iter redeamus, ut de cæteris rebus loquamur.

XV. Eodem ipſo tempore, quo Digeſta componebantur, Imperator Dorotheo, Theophilo, ac Triboniano mandavit, quaſdam ut componerent Juris civilis Inſtitutiones, quibus hujus ſcientiæ principia continerentur. Cum enim id præ oculis ſemper haberet, ut juris addiſcendi via facilior redderetur, optime hac re tyronibus conſuluit, qui his tantum poſſunt ad primam juris notitiam facile pervenire. Equidem adeſt in iis ordo perfectiſſimus ac certa ratio, qua tyronum animi imbuuntur: adſunt definitiones aptiſſimæ, quibus omnis innititur prudentia: adſunt partitiones optimæ, caſus varii, legum exordia,

quæ

quæ & plenam rerum notitiam adminiſtrant, & artem eſſe juriſprudentiam demonſtrant. Uno tantum menſe ante Pandectas, quatuor libris diſtributæ, Inſtitutiones prodiere, quibus vim legis Imperator accommodavit. Hæ ſcriptæ ſunt exemplo Gaii, Pauli, Ulpiani, Florentini, Calliſtrati, aliorumque, quos nunc ſibi Tribonianus ad imitandum propoſuit. Theophilus has ipſas poſtea Græcas reddidit, quibus utimur etiam nunc (29).

XVI. Quidam vero ſunt, qui Triboniani Inſtitutiones reprehendunt: in primiſque dicendi rationem condemnant. Etenim obſcuram illam, nec perfectam undique contendunt. Qua in re profiteor, hos mihi tales videri, quales ii ſunt; qui in tragœdiis Ennii Virgilium poſcunt, aut in fabulis Plauti petunt ubertatem Ciceronis. Neque vero heic, qui ita cenſent, conſiſtunt: ſi quod enim verbum, ſi quam dictionem obſcuram & minus uſitatam in legum libris inveniunt, eam eſſe ex manu Triboniani definiunt. An non minus eloquens ætas noſtros prudenteis tulit? Nonne cum annis defluit puritas ipſa ſermonis? Num novæ res novis quidem verbis non diſtinguuntur? Denique ſi cum Triboniano & Boethius, & Caſſiodorus, & Jornandes, qui hujus æta-

29 De Theophili ætate veteres multum diſputarunt. Fabrottus ad eumdem, & Fabr. Bibl. Græc. vol. 12. pag. 353. I. H. Mylius poſt Gundlingium rem hanc optime explanavit, in Prolegomenis ad eumdem. Paulus Diaconus: *Quatuor etiam Inſtitutionum libros, in quibus breviter univerſus legum textus comprehenditur, noviter (Juſtinianus) compoſuit.*

ætatis eſſe ſapientiores viſi ſunt, conferantur: neque primam illis, nec dabimus ſecundam Triboniano. Quanquam quid plura loquor. Nam ſi expolita quodammodo oratio Triboniani non videtur, licet ſæpe redundet, quid de illa veterum prudentum dicemus?

XVII. Reſtat ut de ipſius Juſtiniani legibus loquamur, ad quas juſtitiam tranſtuliſſe omnem negari nequit. Ex quo enim fuit ad Imperium Juſtinianus evectus, plurimas leges condidit, quæ aut veteres prudentum controverſias definiebant, aut antiquum jus emendabant. Harum autem pars, novi Codicis occaſione incluſæ in eo ſunt, partem Novarum hodie Legum nomine cognoſcimus. Sed quid dicere attinet de illis? De ſecundis hîc ergo loquamur. Ac primo quidem monendum cenſeo, de horum lingua fuiſſe a viris doctis diſputatum. Nam cum alii crederent omnes græce ſcriptas, alii latine fuiſſe; nihil aliud profecto potuit (quod minime dubium erat) cognoſci, niſi quod græca aliæ, aliæ latina lingua ſcriptæ fuerint. (30) Cæterum græcas nonnullas in latinum Sermonem vertit Juſtinianus, atque alias multas longe breviori oratione explicavit, vir quidem doctus, & ſummis hono.

30 Vide Struvium Hiſtor. Jur. cap. 3. §. 9., Terraſonium par. II. §. 14. Ludewigium in Juſtiniano majorem Novellarum partem latine ſcriptam putavit: quam opinionem Æmilius Ludovicus Homberk Zu Vach oppugnavit de Lingua Novellarum Juſtiniani Originaria. Marquardus Freherus græce tantum editas fuiſſe exiſtimavit.

honoribus præditus, Julianus Anteceſſor: quem eſſe illum, cui ſuos Priſcianus libros inſcripſit, Goltzius & Fabricius putarunt. (31) Et licet dubium ſit, quot numero fuerint hæ novæ leges, atque etiam omnino antiquæ verſionis auctor ignoretur; dubitari tamen non poteſt, quæ ſuperſunt, veras eſſe germanaſque Juſtiniani Conſtitutiones. Magis autem incertum eſt, num (32) fuerint collectæ, ut leges Imperatorum, & ſimul tandem, ut aliæ, prodierint. Ac mihi quidem, licet haud eſſe dubium videtur, quin ad multos annos Juſtiniani diſperſæ ſuperfuerint; eas tamen ſimul in lucem emiſſas aliquando fuiſſe contendo. (33) Leo

31 Iuliani Epit. Pithœi in lucem dederunt. H. Agyleus Edicta Juſtiniani Græco-Lat. vulgavit.

32 In omnibus veteribus exemplaribus cum græcis, tum latinis, tum etiam Græco-Latinis idem haud reperitur numerus Novellarum. Hodie 168. Novellæ numerantur in libris accurationibus, quas inter aliqui putant, Juſtini ac Tiberii leges nonnullas extare. Matthæus Blaſtares, qui circa annum 1335. ſcripſit 70. novellas enumerat. Harum 145. græce primus edidit Norimb. anno 1531. Grægorius Haloander; nonnullas ex Bibliotheca ſua Henricus Scrimgerus Scotus anno 1558. ſupplevit; reliquas tandem ex Contio Græco-latinas habemus. Vide alia plura in præfationibus ad Novellas Haloandri, Scrimgeri, Contii, Pithœi.

33 Laudatus Zu Vach edidit Schediaſma de Collectione Novellarum a Iuſtiniano facta, in qua probare nititur, eam integre intercidiſſe. Leo ſic de Juſtiniano: *Novellis Conſtitutionibus*, inquit, *quas idem elaboravit, ſuum quoque locum dedit*. Paulus Diaconus De Geſtis Longob. Lib. I. cap. 2. *Novas quoque leges*, inquit, *quas*

Leo enim & Diaconus & Cedrenus, atque alii, non tamen illius ætatis, hiſtorici, ſic de his novis legibus verba faciunt, perinde ac ſi eaſdem Juſtinianus uno libro, atque uno tempore emiſerit. Utrum autem id factum ſit adhuc Juſtiniano ſuperſtite, an eodem mortuo jampridem; utrum privato ſtudio an publica auctoritate, me haud poſſe judicare ingenue profiteor. Ut enim ii, quos in medio attulimus, ſcriptores non æquales fuerunt Juſtiniani, ſed alio tempore omnes, atque, ut verum eſt de nonnullis, multas poſt ætates viguerunt; ſic decipi facile potuerunt, & privatim ab aliquo factam legum collectionem, Juſtiniano attribuere.

XVIII. Quam

quas ipſe ſtatuerat, in unum volumen redactas eumdem Codicem Novellarum nuncupari ſancivit. Cedrenus: *Tulit*, inquit, *Juſtinianus acres leges contra impudicos, & veteres omnes leges renovatas in unum volumen redegit, quod Novellas Conſtitutiones inſcripſit*. Chronicon Epiſcop. Eccleſ. Neapol. apud Murator. Rer. Ital. Tom. I. par. 2.: *Juſtinianus*, inquit, *quatuor Inſtitutionum libros, quibus breviter univerſus legum textus comprehenditur, noviter compoſuit. Novas quoque leges, qaas ipſe ſtatuerat, in unum volumen reducens, eumdem Codicem Novellam nuncupari ſancivit*. Harmenopulus Lib. I., Tit. 1. § 9.: *Conſcripſit & Idem peculiari volumine Novellas*. Hæc quæ in horum ego lectione adnotavi, heic libenter ſubjeci. De ratione, qua nunc Diviſi libri juris ſunt non eſt cur dicam, quoniam antiquiſſima eſt. Vide D. Antoninum in Chronico Par. II. cap. 4. De Authenticarum auctore acris fuit controverſia hac ætate ineunte inter Arnoldum Pagenſtecherum, & Cornelium Van Bynkerſoek, cui, mortuo Pagenſtechero, Auguſt. Houchius reſpondit.

XVIII. Quam vero juſtæ, quam utiles, quam ſanctæ hæ leges ſint, nemo eſt profecto, ut opinor, qui non cognoſcat. His enim Juſtinianus veterem omnem confuſamque legislationem correxit ac declaravit (34), atque innumerabiles ſuſtulit in uſu forenſi difficultates: his modum quemdam certum & explanatum negotiis difficilibus impoſuit: his novos caſus, & novas controverſias definivit, cautioneſque ſanctiſſimas & morientibus & contrahentibus propoſuit: his tandem plura bene ante ſtatuta confirmavit, & ad ſuæ ætatis ingenium magno labore traduxit. Sic legem veterem, neque uſu approbatam de excutiendo ante fidejuſſorem debitore, deque ejus bonis petendis, vendendis, adjudicandis in uſum revocavit. (35) Sic cum multæ orirentur controverſiæ, tum, cum & hæres, & fideicommiſſarius, & legatarius, & cui aliqua res fuerat in teſtamento nuncupata, aut ſolvere, quæ præſtanda juſſerat teſtator, aut adire recuſaret, aut de ordine adeundi certaretur; tam bene, lege facta, cunctis difficultatibus prævivit, ut eas omnes una quidem ratione ſuſtuliſſe videatur. (36) Sic contra Falcidiam legem teſtatorum voluntatem prorſus in tuto collocavit; hæredibuſque præcepit, ne contra bonorum deſcriptionem a teſtatore, factam aliquid amplius molirentur (37).

XIX. Quid

34 Nov. 1. & 7.
35 Nov. 1. & 4.
36 Ibid.
37 Nov. 1., 48., 119.

XIX. Quid dicam de illis, quas ut nimis aſperas moderavit, &, quantum legibus potuit, ad naturæ puritatem, ſimplicitatemque trajecit? (38) Nam ſuis conſtitutionibus effecit, ut innumeris legibus abrogatis & de ſtatu ſervorum ac libertorum, deque eorumdem juribus in teſtando, in contractibus, in muneribus: ac latinorum, deditiorumque diſcrepantia ſublata; & plures poſſent undique magiſtratus & Epiſcopi ſine vindicta, ſine cenſu, ſine epiſtolis juſta ſervitute liberare, & ſuos domini ſervos in libertatem vindicare. (39) Hac eadem ratione natum ex libera & adſcriptitio ſervum eſſe noluit: ſervos & ancillas aut deſidia aut ſimulatione a dominis in matrimonium datas, languenteſque deſertas, liberas effecit: divortia certis cauſis, certiſque pœnis reſtrinxit, prohibuit: damnatos ad metalla, nec ſervos pœnæ fieri, nec libertate exturbari, nec matrimonio cadere conſtituit: ſuſtulit cauſas Caducitatum: filiis naturalibus poſt dotalia inſtrumenta, libertatemque impetratam, & natalia & ingenuitatem aliis multis modis, quam antea, eſt impertitus (40).

XX. Quid de ablato veteri juris ſuccedendi rigore? Ita matribus aditum ad caſtas nuptias re-

38 Nov. 18.

39 Quirinus Schucher in *Juſtiniano Manumiſſionum fautore* libertatem dediſſe tot legibus Juſtinianum putavit, ne ingenui deeſſent ſuis exercitibus. Vid. Novell. 70., 78., 119.

40 Nov. 12., 18., 19., 74., 89., 117.

reſeravit, ac ne metu legis luxuriarentur effecit: ita feminis erepta jura reſtituit: ita filiis portionem auxit in hæreditate parentum: quibus etiam prohibuit, ne in fraudem filiorum, aut univerſæ hæreditatis uſumfructum ſibi ipſis relinquerent, aut cæteris filiis donando juſtam aliorum partem abſorberent: tandem nuptialis lucri proprietatem, quam eſſe inalienabilem præceperat, ſiquidem filii & nepotes eſſent mortui, horum hæredibus adſignavit (41); ſin autem extarent, materque ad novos lares tranſiret, ſine ullius periculi timore adminiſtratione imperata, ejus uſum matri, filiis pro æquali dominium reſervavit. Quid de verborum ambagibus, formuliſque ſublatis cavendi, teſtandi, fideicommittendi, legandi? Quid de Judiciis ordini ſuo & integritati reſtitutis? judicum poteſtate circumſcripta? teſtium uſu, fide, auctoritate definita?

XXI. Sed & ejus æquitas claruit & juſtitia, cum ea fere primus in leges induxit, quæ juri civili ac foro certam quaſi rationem impoſuerunt. Quid tam porro æquum, tam ſanctum, tam neceſſarium, quam quod omnes nobis aliqua neceſſitate conjuncti rebus noſtris poſt noſtram mortem potiantur? Suarum rerum parentes filiis certam ſcriptamque portionem relinquant abſque ſolemnitatibus? Uxorem, quæ dotem viro promiſſam aut omnino non ſolvit, aut ex parte præſtavit, vel nullam in antenuptialem donationem actionem, vel tantum in partem habere?

41 Nov. 2., 68., 98., 127.

bere? Atqui veterem in ſuccedendo diſtinctionem ſuſtulit agnatorum, cognatorumque, privatim teſtari parentibus permiſit, nullam denique actionem uxori in donationem viri conceſſit, niſi vel omnino dote, vel ſaltem ex parte ſoluta. Multis præterea legibus pupillis & minoribus providit: uxori inopi poſt viri mortem, huic poſt mortem divitis uxoris conſuluit: modum uſuris, tempus præſcriptionibus impoſuit: dotium jura auxit, diſtinxit, multiplicavit. Quid plura? Innumera fere, ac vetera privilegia inutilia abrogavit: ſuo Tabelliones numeri deficientes pœnis ſeveriſſimis coercuit: ſyngraphas privatas, & publicas ſtipulationes in tuto collocavit. Creditores deinde, matre excepta, a minorum tutela removit, neque actionem ſuſcipi a tutore cum pupillis poſſe decrevit. Multa quoque & de ceſſione bonorum ac de dotis poſtulatione, de emphytheuſi, de actionibus, de fidejuſſione præſcripſit. Nihil denique ſtatuit, correxit, renovavit, quod aut neceſſitas non poſtularit, aut non ſuaſerit utilitas, aut pietas juſtitiaque non efflagitarit. Qua de re alii licet aliter prædicent de Novellis, dicam tamen ego libere, quod ſentio: juris hæ mihi videntur fonteis eſſe uberrimi, juſtitiæ, & æquitatis, alioſque veteres juris, ac novos libros omnes publicæ privatæque utilitatis magnitudine ſuperare.

XXII. Cum vero has inter novas leges aliquæ de rebus ſacris reperiantur, a catholicis pleriſque reprehenſus Juſtinianus eſt & condemnatus. Non defuerunt tamen ex ipſis catholicis mul-

multi, qui eumdem optime excuſarent. Non, enim novum quidpiam ſtatuit, ſed quæ ante fuerant decreta a Conciliis, non diſſimulans quidem Eccleſiæ eſſe, ſuo nomine non jure, majeſtate non auctoritate promulgavit. (42) Harum autem nullam ipſe quidem propoſuit, niſi de Epiſcoporum conſilio, maximeque Pontificum Romanorum: quos & per legatos & per epiſtolas ſæpe conſuluit. *Inter claras ſapientiæ ac magnitudinis veſtræ laudes*, inquit Summus Pontifex Joannes II. in epiſtola ſcripta ad eumdem Juſtinianum, *Chriſtianiſſime Principum, puriore luce tamquam aliquod ſidus irradiat, quod amore fidei, quod charitatis ſtudio edocti Eccleſiaſticis diſciplinis, Romanæ Sedis reverentiam conſervatis, & ei cuncta ſubiicitis, & ad ejus deducitis unitatem, ad cujus auctorem, hoc eſt Apoſtolorum primum Domino loquente præceptum eſt: Paſce oves meas, quam eſſe omnium vere Eccleſiarum caput, &*

 Pa-

42 Vide omnino Baronium ad A. C. 530. Num. 1. & 2., & Orſium Lib. XL. Num. 12., Natal. etiam Alexand. Sæc. VI. cap. 7. art. 2. & Doctiſſimum Mamachium Originum lib. 3. cap. 2. Juſtinianus in Procœmio Novellæ XLII.: *Rem*, inquit, *non inſolitam Imperio & nos facientes, ad præſentem venimus legem. Quoties enim Sacerdotum ſententia, quoſdam indignos ſacerdotio de ſacris ſedibus depoſuit (quemadmodum Neſtorium, Eutychen, Arium, Macedonium, & Eunomium, ac quoſdam alios antiquitate non minores illis) toties imperium ejuſdem ſententiæ & ordinationis cum Sacerdotum auctoritate fuit. Sicque divina & humana concorditer concurrentia* (etenim a vulgata interpretatione recedo) *quæ recta ſunt operantur.*

Patrum regulæ, & Principum ſtatuta declarant, & pietatis veſtræ reverendiſſimi teſtantur affatus. Patet igitur in vobis impletum fore, quod Scripturæ loquuntur: Per me reges regnant, & Potentes ſcribunt juſtitiam . . . . Proinde ſerenitatis veſtræ apices per Hypatium atque Demetrium Sanctiſſimos fratres & Coepiſcopos meos reverentia conſueta ſuſcepimus: quorum etiam relatione comperimus, quod fidelibus populis propoſuiſtis edictum amore fidei, pro ſubruenda hæreticorum intentione, ſecundum Apoſtolicam doctrinam fratrum & Coepiſcoporum noſtrorum interveniente conſenſu: quod quia Apoſtolicæ doctrinæ convenit noſtra auctoritate confirmamus (43).

XXIII. Valentiniani præterea, & Marciani legem Juſtinianus in ſuumCodicem tranſtulit (44), qua leges omnes, contra Eccleſiæ Canones latæ, prorſus infirmantur. Deinde Juſtinianus & privatus & Imperator ſummo ardore flagravit, ut Eccleſia Orientis, quæ diris controverſiis lacerabatur, tandem aliquando ſedaretur, atque Eccleſiæ legibus omneis obedirent. *Si civiles leges*,

43 Vide Binium in hunc locum tom. V. Concil. pag. 893., & Noriſium in Diſſ. Hiſt. de V. Synodo cap. 2. Vigilius de Juſtiniano: *Nos*, inquit, *in Domino nimium convenit gloriari, quod non imperialem ſolum, ſed etiam ſacerdotalem vobis animum concedere ſua miſeratione dignatus eſt*.

44 Lib. I. tit. 11. leg. 12.: *Omnes ſane pragmaticas ſanctiones, quæ contra Canones Eccleſiaſticos interventu gratiæ vel ambitionis elicitæ ſunt, robore ſuo & firmitate vacuatas ceſſare præcipimus*. Vide Nov. 131., 133., 137.

ges, inquit idem Juſtinianus, *quarum poteſtatem nobis Deus* κατά τὴν ἑαυτῦ φιλανθρωπίαν *credidit, firmas ab omnibus cuſtodiri ad obedientium ſecuritatem ſtudemus; quanto plus ſtudii adhibere debemus circa ſacrorum canonum & divinarum legum cuſtodiam, quæ propter ſalutem noſtrarum animarum* (ſic enim in Græco legimus) *ſunt definitæ. Qui enim ſacros canones cuſtodiunt, Domini Dei adiutorio digni ſunt, qui autem eos tranſgrediuntur, ipſi ſemetipſos judicio reddunt obnoxios*. Poſtremo quidem ad has leges ferendas, ipſa temporum conditione Juſtinianus impulſus eſt. Cum enim tunc res eſſet cum hæreticis, quorum ſemper mos fuit turbas ciere, & publicam Eccleſiæ pacem perturbare, aut cum pervicacibus hominibus; niſi Eccleſiæ auctoritati externum principis præſidium acceſſiſſet, ipſis Eccleſiæ legibus multi profecto non obtemperaſſent. Qua eadem ratione id factum & a Conſtantino, & a Theodoſio, Valentiniano, Marciano & ab aliis piiſſimis atque honeſtiſſimis Imperatoribus, cum ex Theodoſiano, tum ex Juſtinianeo Codice intelligimus.

XXIV. Summa quoque Juſtiniani fuit, ut ex his ipſis Novellis atque ex ejuſdem epiſtolis apparet, erga Summos Romanos Pontifices, aliosque Eccleſiæ Antiſtites obſervantia. Nam juvenis adhuc Hormiſdæ profitetur, ſe mandatorum ejus cuſtodem atque exequutorem futurum, nec latum, ut ajunt, unguem ab ejus voluntate diſceſſurum; atque etiam ſemper opera Epiſco-

porum in adminiſtranda republica uſus eſt (45): quibus rogantibus multa ſæpe dedit (46), judices provinciarum ſubjecit (47), ſervorum manumittendorum, dandorumque tutorum juriſdictionem mandavit, judices conſtituit, patria denique poteſtate liberavit. Qnare cum laudata ab iiſdem Juſtiniani pietas eſt, tum vel maxime a Summis Pontificibus in Romanam ſedem reverentia eſt commendata. (48) Teſtis eſt Hormiſdas, qui non ob res domi militiæque geſtas, ſed ob ſummam erga Sanctam Sedem reverentiam, atque in Romanos Pontifices ſtudium dignam Juſtiniani familiam Imperio judicavit. (49) Teſtis eſt Bonifacius, a quo & amabilis ſæpe filius nuncupatur, & ob eximiam pietatem ſuam maxime commendatur. Teſtis eſt Joannes, a quo tot tan-

45 In Proæmio Novellæ CXXXVII.

46 Nov. 37.

47 Nov. 149.

48 Nov. 8., 87. cap. 4. Juſtinianus in Procem. Novel. IX. *Ut legum*, inquit, *originem anterior Roma ſortita eſt, ita & Summi Pontificatus Apicem apud eam eſſe, nemo eſt qui dubitet*. Et poſt: *Quod igitur noſtra æternitas ad Omnipotentis Dei honorem Venerandæ ſedi ſummi Apoſtoli Petri dedicavit, hoc habeat &c.* Ad Bonifacium II. *Non poteſt*, ait, *D. N. J. C. prætermitti ſententia dicentis*: Tu es Petrus &c. *Et hæc quæ dicta ſunt rerum probantur effectibus, quia in Sede Apoſtolica extra maculam ſemper eſt Catholica ſervata Religio*.

49 *Litterarum veſtrarum*, inquit, *ſerie religionis ope pollente devotionis optatiſſima gratulatione ſuſcepta, gratias divinitati retulimus, quia dediſtis indicium facile a vobis fieri, quod potuiſſemus hortari. Hinc eſt, quod quia ſpon-*

tantiſque laudibus eſt cumulatus, ut præter hujus epiſtolas, nihil quod ita faveat nomini Juſtiniani in univerſa antiquitate reperiatur. Teſtes denique ſunt ii Summi Pontifices, a quibus tot gratiæ eidem aguntur de præſtitis Romanæ Eccleſiæ beneficiis.

XXV. Merito itaque de ſe ipſe gloriatur Juſtinianus; atque ad eoſdem Summos Pontifices ſcribens, de magnitudine venerationis in eos ipſe teſtatur. *Quanta reverentia*, inquit ad Hormiſdam, *veſtram beatitudinem veneremur multis epiſtolis cognoſcitis*. Atque in epiſtola ad Joannem: *Reddentes*, inquit, *honorem Apoſtolicæ Sedi & veſtræ ſanctitati, quod ſemper nobis in voto fuit & eſt, ut decet Patrem honorantes veſtram beatitudinem, omnia, quæ ad Eccleſiarum ſtatum pertinent feſtinavimus ad notitiam referre veſtræ ſanctitatis*.

ſponte laudabilia cupitis, digne ad principatus apicem generis veſtri ſtemmata pervenerunt. Quapropter inſiſtite, & religioſe vivacitatis animis imminete, ut quemadmodum pro bonæ voluntatis initio genus veſtrum meruit culmen Imperii, in æterna de perfectione gloria ſint triumphi. Tum in altera Epiſtola: *Quæ cum ita ſint, vos, qui Eccleſiæ Catholicæ tranquillitati feciſtis initium, procurare decet effectum*, & alibi: *Studium veſtrum erga Eccleſiaſticam pacem, & damnatos hæreticæ contentionis errores ipſius rerum effectibus approbamus; cujus vos operis magna immenſaque ſine dubio merces expectat.*

L I B E R IX.

De Ædificiis Juſtiniani.

Quam magnum ſibi nomen, quantamque famam Juſtinianus, & pacis ſtudiis, & legibus latis, & victoriis innumeris, & faciliter expedita juris correctione, compararit, jam non ut res ipſa, ſed modus, quem nobis initio propoſuimus, poſtulabat, ſatis abundanter dictum eſt. Res nunc illa noſtris oculis ſeſe offert, quæ & magnitudine ſua & utilitate, Principem ſupra exemplum munificum ac liberalem fuiſſe Juſtinianum, demonſtrat. Etenim tam multa ubique templa, domus, oppida, civitates condidit, ædificavit; ut locus nullus unquam, nulla Imperii Romani provincia ejus animi magnitudinem aut debuerit expectare, aut potuerit mente deſiderare.

II. Atque ego quidem ingenue profiteor, nulla me oratione poſſe complecti, illa omnia & ſplendida & decora ædificia, quæ in Imperio

uni-

univerſo magnifice conſtruxit. Non enim unum aut alterum templum Deo Superiſque dicavit, non paucas domus, & publicas & privatas ædes collapſas vetuſtate a ſolo reſtituit, non unum oppidum ad civitatis frequentiam & magnitudinem evexit, non unam denique civitatem, aut terræmotu labefactatam condidit, aut depopulatam hoſtiliter ſublevavit; ſed tot domus, tot templa, tot Urbes, oppida, pontes, mœnia fecit, erexit, ut longe veteres Romanos Imperatores horum dignitate copiaque ſuperarit. Cum enim Urbs, omneſque Imperii Romani provinciæ ſæpe terræmotu laborarint Juſtiniano imperante, & multæ Civitates ac Regia præſertim, toties fortuito toties oblato incendio conflagrarint (1); rem ſuis opibus parem, ſua dignam majeſtate putavit Juſtinianus, ſi ambuſtas incendio domus reficeret, ſi obruta terræ ictibus oppida & urbes reſtitueret, ſi denique cum neceſſitas & utilitas, ac ſui animi magnitudo poſtulaſſet, conderet urbes atque ædificaret. Verumtamen cum longum nimis eſſet, non modo ea perſequi, quæ veteres omnes de Juſtiniani Ædificiis memoriæ tradiderunt, ſed ea etiam, quæ ſolus ſcripſit Procopius; multa prætereunda ſilentio exiſtimamus, ut de aliquibus tantum diſſeramus.

III. Ac primum ſibi vindicat locum Magnum illud Templum Sapientiæ Divinæ dedicatum, quod ingentibus opibus, celeritate incredibi-

1 Vide Agathiam, Cedrenum, & Zonaram.

dibili confectum, ΑΓΙΑΝ ΣΟΦΙΑΝ, ut antea, nuncupavit. (2) Templum hoc, Deo a Conſtantino Magno conſecratum, cum jam tanta vetuſtate laboraret, anno Imperii ſui ſecundo Juſtinianus inſtauravit, ac priore majus & pulchrius effecit. (3) Cum autem in Hypatii ac Pompeii tumultu inter alia ædificia magna in parte conflagraſſet, ad totam ejus conſtructionem animum applicuit, ac de novo extrui imperavit. (4) Summæ curæ fuit eidem, ut ubique auro, ac prætioſis lapidibus niteret, quorum ex omni loco copiam incredibilem comparaverat. *Multa ædificia Imperator*, ait Agathias, *quæ partim vitium fecerant, partim jam corruerant, inſtaurare nitebatur; ſed præcipue eidem erat curæ templum Dei Auguſtiſſimum*. Centum architecti fuerunt, qui operam ſuam & artem ad hujus templi pulchritudinem locarunt: quorum quiſque centum artifices ad ædificandum habebat: qui in duas æquas partes diviſi, alii dexterum templi latus, alii ſiniſtrum, æmulatione quadam, ſummaqne contentione, ædificabant. Triplex factum eſt templi Veſtibulum, quo, ne in penetralia conſcenderent primi nominis poenitentes, prohibebantur. Latus *Narthex*, ſeu ut ſunt Latini Patres

---

2 Confer Paul. Diacon. Lib. I. cap. 25., Procop. Lib. I. de Ædif.

3 Vide Cedrenum, qui refert Inſcriptionem hac poſitam occaſione in Eccleſia.

4 Anno Imperii quinto narrat Anonymus de Origine Urbis Cpolis.

tres loquuti, *Ferula* ampla, addita Veſtibulo fuit, in qua dies noćteſque cantus Sacerdotum audiebantur. *Ambones* autem & *Sanctuarium* tanta magnificentia fuerunt exornata, ut primi lapidibus prætioſis, hoc ſolido argento niteret. Multi fuerunt arcus, magnæ & innumerabiles columnæ, *βαπτιστήριον* ingens & varium eburneæ portæ auro & argento colligatæ, lampades & faces infinitæ, aliaque innumera ornamenta. Id vero dignum fuit admiratione, quod feminarum porticus columnis ſmaragdineis ſuſtentarentur; & Sacerdotum ſubſellia, in orbem circumducta, cum labore & arte, tum ſumptuoſo ornatu ſplenderent. (5)

IV. Tanto opere ac tam difficili paucis annis perfecto, ſacris etiam donis illatis, & aurea ſupellectile: eo, ſolemni pompa Juſtinianus, albis vectus quadrigis, gratias Deo acturus proceſſit: quo jam pervenerat Epiſcopus ad dedicandum. (6) Juſſit præterea Imperator, ut feſtus hic dies non modo ſparſionibus conſularibus, ſed etiam frumenti atque aliorum generum diſtributione celebraretur. Itaque & auri libræ tercentum ſunt diſtributæ, & bovum, ſuum, cer-
vo.

5 Templum hoc plurimi deſcripſerunt. Procopius, Paulus Silentiarius, & Auctor Spectaculorum apud Combefiſium ex veteribus: Ducangius & Bandurius & Gyllius in Topographia Cpolis Lib. III, cap. 4. ex recentioribus.

6 *Undecimo anno*, ait Cedrenus, *magnum templum dedicatum eſt: exivitque proceſſio a templo S. Anaſtaſiæ cum Patriarcha, Imperatore, & Populo.*

vorum, ovium, atque pullorum integra armenta cæſa, atque ingens copia frumenti in plebem erogata. Sed & proximo die templum populo aperuit, ac diebus quindecim ΑΓΙΑΝ ΘΕΟΦΑΝΗΝ celebravit. Tunc quoque plateam exornavit, in cujus medio poſuit columnam, ſupra quam erat imago Imperatoris. Hæc autem equeſtris ſtatua ſic poſita fuerat ab artifice, ut globum cum Cruce altera manu teneret, altera victos Perſas, ne ſuis finibus egrederentur, prohiberet (7).

V. Multa templa deinde Chriſti Matri Mariæ conſecravit. Hanc enim ipſam, cujus Græci honorem ſæpe vindicaverant, magna eſt religione proſequutus, ut tot templa eidem dedicata ſatis luculenter demonſtrant. Quocirca, ut tantæ Virginis cultus celebrior redderetur, multa eidem templa, tot opibus & ornamentis inſignia, atque in eam amplitudinem erexit; ut omnes Imperii ſui opes in horum altero conſumpſiſſe videretur. *Dei Genitrici*, inquit in primo libro Procopius, *paſſim per Romanum Imperium multas ædes Juſtinianus conſecravit, adeo plane magnificas & præſtantes, tamque ingenti pecuniarum acervo conſtructas; ut ſi quis unam dumtaxat ædem conſpexerit, hoc ſolum opus ab ipſo elaboratum exiſtimabit, & in eo perficiundo omne regni ſui tempus confeciſſe.*

VI. Nec porro in his pientiſſimi Imperatoris animus conquievit. Etenim Divæ Annæ templum

7 Auctor de Origine Urbis.

plum magnificentiſſimum dicavit (8), ac prope palatium Petro & Paulo Apoſtolis aliud ampliſſimum atque ornatiſſimum extruit. Fuerat uſque a veteribus temporibus Eccleſia Duodecim Apoſtolis conſecrata, qua diruta a Juſtiniano (neque enim ſplendida erat, nec ſatis ampla) majorem idem alteram, ornatioremque ædificavit. Sed Templum Divi Acacii propter magnitudinem, & ſplendorem eximio ſpectaculo fuit. Ita enim candidis lapidibus nitebat, ſic fuerat argento exornatum; ut tota nivibus albeſcere Eccleſia videretur. *Eſt admiratione plane dignum*, inquit Procopius, *tali ac tanto ſplendore, ut eam de ſe opinionem præbeat, quaſi totum nivibus perfluat*. Magnificum quoque templum Martyris Zoæ fuit, grande illud Bacchi ac Sergii, ſplendidum illud Archangelis Michaelis. Sed quid plura commemoro? Si enim urbes condidit, ſi collapſas refecit, ſi multa oppida magnis ædibus ornavit; quî poteſt dubitari, quin multa etiam & ſplendida templa ædificarit? Adeant ii Procopii orationes, qui auctoritati noſtræ fidem præbere recuſant, etenim multa templa Juſtinianum ædificaſſe cognoſcent non in urbe ſolum, ſed etiam in omnibus Romani Imperii provinciis. Poſt hæc etiam publice ad civium commoditatem horologium pulcherrimum poſuit, quod quidem hac etiam ætate fuit maximæ admirationi (9).

VII. Quid

8 Procopius Lib. I.

9 . Theophanes in Juſtiniano : ἐποίησε καὶ ὡρολόγιον τ᾽ μιλίου. Poſtquam Hermes Triſmegiſtus diem in ho-

VII. Quid dicam de ædibus illis, quas pro ſalute Reipublicæ fieri mandavit? Quid de ingentibus monaſteriis pro Virginum Sacrarum cuſtodia, quæ multis etiam opibus locupletavit? Quid de hoſpitiis pauperum & ægrorum, receptaculis puerorum ac mulierum miſerarum? Hæc enim omnia tanto extruxit divitiarum apparatu, quantæ ad multitudinem incredibilem alendam ſat eſſent,

---

ras diſtribuit (vide Kircherum tom. 2. Œdipi par. 2.) Solariis horologiis veteres uſi ſunt: quæ, ut narrat Plinius Lib. II. ſect. 78., Anaximenes Mileſius, Anaximandri diſcipulus primus invenit. *Umbrarum hanc rationem*, inquit, *& quam vocant gnomonicen, invenit Anaximanes Mileſius, Anaximandri diſcipulus: Primuſque horologium, quod appellant ſciothericon Lacedemone oſtendit.* Ad Romanos, qui horas adorabant, ut eſt Seneca teſtis Lib. I. de Beneficiis, tandem ſolaria horologia allata ſunt, quorum unum ad Ædem Quirini L. Papirius Curſor, ante Bellum Pyrrhi annos undecim, poſuit. Vide Plinium Lib. VI. cap. 60., Athenæum Lib. I. Cenſorinum de Divina Natura cap. 3. Sub regibus uſque ad XII. Tabulas Romæ ortus tantum & occaſus notabatur: *poſt aliquot annos adjectus eſt & meridies, accenſo conſulum id pronunciante, cum a curia inter Roſtra & Græcoſtaſin proſpexiſſet ſolem. A columna mænia ad carcerem inclinato ſidere, ſupremam pronunciabat. Sed hoc ſerenis tantum diebus uſque ad primum Punicum bellum &c.* (Plinius ibid.) tandem a Q. Marcio Philippo cenſore accuratius horologio ordinato, hujus cura cenſoribus data eſt. Macrobius Saturnal. Lib. I. cap. 4.... *ſicut expreſſum eſt in XII. tabulis: Solis occaſus ſuprema tempeſtas eſto.* Confer Gellium Lib. 17. cap. 2. Plautus in Fragmentis ex recenſ. Friderici Gronovii Amſtelod. Tom. II. pag. 573. inquit:

Ut

ſent. Erat maris litus plenum domibus lenonum, qui ſecum multas feminas ad quæſtum detinebant, atque ad mercimonium. Novit initio Imperator, quantum mali caperet reſpublica ex tanta licentia, & quot pauperæ mulieres ad lenones inopia adducerentur. Quare cum primum exilio hanc effrenatam libidinem lenonum cohibuiſſet, eorum domus, quas everterat, in magnas ædes convertit: in queis mulieres illas concluſit, quæ poſt turpem ſervitutem libera caſtitate frui deſiderabant, veſtibus eiſdem cibiſque miniſtratis. Quæ

Ut illum dii perdant, qui primus horas repperit,
Quique primus hic ſtatuit ſolarium.
Et poſt:
Itaque jam oppletum eſt oppidum ſolariis.

Quæ ex Bœotia Plauti refert Gellius Lib. III. cap. 3. Quanquam etiam in caſtris ad partiendas vigilias, milites Romani Clepſydra uſi ſunt. Vide Lipſium de Militia Romana Lib. V. dial. 9. Quippe ὡρολόγια ὑδραυλικὰ ſive aquea, quæ *Clepſydræ* ſunt vocata, quæque Scipio Naſica collega Lænatis primus ſub tecto dicavit anno Urbis DXCV., maxime Romani in uſu habuerunt. Cicero de Natura Deorum Lib. II. *Aut cum ſolarium vel deſcriptum, aut ex aqua contemplere, intelligere declarari horas arte non caſu.* Nati hinc dicendi modi *clamare ad Clepſydram, ad Solarium*, ut in III. de Orat., & in IV. ad Herennium. Atque hinc etiam ſæpe in marmoribus *Horologia, Sphera, Horilogia, Solaria*, & aliquando *Orilogiares*. Hac igitur ætate Juſtiniani & Solariis & aqueis uſi ſunt, quorum ſcientiam maxime Boethius vir doctiſſimus & nobiliſſimus habuit præclaram. Confer Lib. I. Variar. Caſſiodori Epiſt. 45., & 46. Byzantii olim in

Quæ quidem res magnam attulit Reipublicæ utilitatem. Nam & virgines multæ a manibus corruptorum ſunt liberatæ; & feminæ innumeræ, quæ jam fecerant pudicitiæ jacturam, eo veluti ad portum confugerunt. Itaque locus ille *Ædes Pœnitentiæ* dictus eſt, ad quam frequentes poſthac mulieres ſumma cum voluptate bonorum conveniebant.

VIII. Poſtquam egentibus, ægris, ſenibus, mulieribuſque providerat Imperator, ac pueris illis, quibus funere acerbo fuerant parentes erepti, ſatis amplum locum paraverat; de illuſtrium hominum ſenectute exornanda cogitavit. Multi namque clariſſimi & fortiſſimi cives, dum vitam omnem ſuam tranſmiſerant Reipublicæ utilitatibus, ſenes facti, inopia rerum omnium premebantur. Huic etiam malo piiſſimus Juſtinianus providit. Domum namque ſuam, quam olim priva-

in Foro fuit aqueum ὡρολογίον, quod, Balmaſas Centurio Ævo Conſtantini τȣ̃ μεγάλȣ cum obſervaret, confregit, ut eſt apud Auctorem Combefiſii Spect. III. Quare utrum aquæ vel ſolis fuerit illud, quod in Milio poſuit Juſtinianus, dubitatur. Loquuntur nonnulla de horologiis M. Vitruvius Pollio Lib. IV. cap. 9., Guidus Pancirolus Rerum Memorab. Lib. II. tit. 10., & Dominus Sallier Récherches ſur les horologes des Anciens Tom. IV. Memoir. de Literat. pag. 148. Alio modo ætatibus inſequentibus compoſita horologia fuerunt, de queis extat Bedæ epiſtola. *Si quem, inquit, delectat horologium componere ſive metallinum ſive ligneum, quod ad inſtar perpendicularis videtur formari: præter quod illud rotundum eſt, iſtud vero ſena latera habet, in quibus ordo horarum totius anni binis menſibus inſignitur.*

vatus habitarat, opeſque ſummas, quibus ipſe ante Imperium uſus erat, hominibus clariſſimis donavit, ut poſt labores ſuos quiete ac commodis reficerentur.

IX. Eſſet nunc jam de Urbibus dicendum, quarum multas condidit, multas auxit ædificiis, multas reddidit tandem frequentiores. At id reor eſſe difficile, ad finem poſſe perduci abſque ſummo labore, & periculo faſtidii. Quis enim non deſcribere modo, ſed numerare tantum poterit urbes, quas aut non extantes condidit, aut terræmotu collapſas ad ſuum ſplendorem fræquentiamque revocavit, aut templis, domibus, balneis, theatris exornavit? Quis oppida illa referre, quæ ſic ipſe civibus auxit & ædificiis, ut deinde fuerint celebres inter Orientis civitates numerata; & obruta incendiis ac terræmotibus ab interitu prope vindicavit: & muris ac turribus munivit, & propugnaculis firmavit? Animo ergo mihi omnino deſpondere fas eſt, cum tanta in dicendo copia non ſuppetat, quæ rerum poſſit magnitudini ſatisfacere. Neque enim is ſum, qui eloquenti oratione poſſim urbium frequentiam, magnitudinem, ſplendorem oculis ſubjicere, ac verbis demonſtrare: nec longa fuſaque oratione animos legentium delectare. Itaque dicam ſolummodo pontes, muros, balnea, aquarum ductus tum in Regia Urbe tum in Romani Imperii provinciis Juſtinianum extruxiſſe, ut civium ſimul neceſſitati ac voluptati conſuleret: domus ob terræmotus everſas reſtituiſſe a fundamentis, forum perfeciſſe, vias denique multas celeriter ſternen-

das curaviſſe. Nam duas urbis partes longo atque ornatiſſimo ponte conjunxit, flumenque ſangarium domuit difficili labore: aquam abundantem in urbem longis ductibus introduxit, atque ædes publicas ſtatuis & columnis ornavit. Sed longos Anaſtaſianos muros, ad tutandos Imperii fines contra barbarorum excurſiones ædificatos, cum omnes ferme concidiſſent, reſtituit a fundamentis: ad quorum cuſtodiam multos Romanos milites dimiſit. *His*, inquit libro ſecundo Procopius, *Rex regnum ſervavit, & obſepit, atque barbaris viam præcluſit, qua Romanis inſultarent ac inſidiarentur*. Et alio in loco: *Totam Europam*, inquit, *obvallans barbaris, qui Iſtrii fluvii accolæ jam erant, inaceſſum reddidit*. At quorſum hæc; perinde ac ſi de Juſtiniani ædificiis pleni annales veteres non eſſent? Quid enim Zonaras? quid Marcellinus? quid Paſchale Chronicon, Evagrius, Agathias? Quid vetus deſcriptio Urbis Conſtantinopolis? quid incertus auctor de Origine Urbis? quid tandem Procopius? Quorum poſtremus licet valde ſuſpectus ſit, mentiri tamen in iis rebus non potuit, quæ cum eſſent in magna luce, tum ſub oculis omnium die noctuque verſabantur.

LIBER X.

De Tribus Capitulis.

GRavem quidem cauſam, atque etiam celebrem in hiſtoria *Trium Capitulorum* multi & docti viri ad examen revocarunt. (1) Talis autem extitit Juſtinianus in eadem, quales ſunt ii viri ſæpiſſime, qui judicii ſui defenſione inflammati, nihil non licere ſibi arbitrantur. De hac paucis ego ſcribere cum debeam (non enim hæc res pertinet omnino ad Juſtinianum) ſic agam breviſſime, ut quæ alii, longe me graviores ac doctiores, antea adnotarint,

1 Dionyſ. Petavius de Incarnat. Lib. I. cap. 11. & 18., Nat. Alexander Sæc. VI. cap. 3., Joan. Cabaſſutius in Concil. Cpolitano II., Noriſius & Garnerius in Diſſ. de Quinta Synodo, atque ad Noriſium Ballerinii, Du-Pin Nouvel. Bibliotheq. des Auteur Ecleſiaſtiq. tom. 4., Baronius ad A. C. DXXXXVI., DXXXXVII., DLI., DLIII., Cavalcanti, Gisbertus, Orſi, aliique.

rint, paucis ego verbis, ac ſententiis ſubjiciam. Multa enim alia eſſent, atque etiam nova fortaſſe examinanda, ſi in his rebus verſari diutius noſtri inſtituti ratio pateretur.

II. Cum Neſtorianam hæreſim Eutychianamque ſynodus Chalcedonenſis condemnaſſet, rumores ingentes, & controverſias innnmerabileis ipſi hæretici in Oriente ſuſcitarunt. Cum autem in hujuſmodi controverſiis maxime & libris Origenis, cujus grandis ſemper fama fuerat doctrinæ ac magnum nomen, & ſcriptis Theodori Mopſueſteni, & epiſtola Ibæ ad Marim Perſam, & Theodoreti Cyri commentariis uterentur (2): nata eſt denique inter catholicos & hæreticos dubitatio, num horum libri doctrinam a Patribus damnatam continerent. Hæc obſcure ſerpens, brevi per omnes Imperii provincias manavit; atque ab Epiſcopis compreſſa, ſic latenter crevit, ut in apertum incendium eruperit. Tunc & plures epiſcopi, & integra monaſteria his favere propalam viſa ſunt: tunc multi ceræ manus admoverunt, ut ſcripto oſtenderent, damnanda

2 Patres VI. Synodi Act. IV. *Ad hæc anathematizamus & quos Sancta V. Synodus abiecit, Theodorum inquam Mopſueſtenum, maledictum illius Maximi hæreſeos diviſioniſque doctorem: & impia Theodoreti ſcripta, quæ adverſum orthodoxam fidem, & duodecim capitula Beati Cyrilli: & epiſtolam, quæ dicitur ab Iba ſcripta fuiſſe ad Marim Perſam*. Leontius Scholaſticus Byzantinus in Scholis ſuis plurima habet de his, Actione IV. præſertim & VI. Plura alia extant apud Patres V. Synodi collat. VIII. tom. 6. Concil. pag. 203.

nanda Tria Capitula non eſſe, tunc demum hæreſis Eutychiana recruduit. Multi ad Mennam Epiſcopi, multi ad Juſtinianum epiſtolas ſcripſerunt, ac multi quoque Byzantium commigrarunt, ut quid objici tanto incendio poſſet, ſtatueretur. Itaque cognoſcens Juſtinianus, ut plures Epiſcopi eidem retulerant, tumultuum & diſcordiarum cauſam eſſe Tria Capitula, non eos modo interrogavit, quid de iiſdem ſentirent, & utrum damnanda eſſe exiſtimarent (id quod omnes faſſi ſunt oportere) ſed etiam alios multos ad urbem vocavit, ut eadem Capitula impenſius examinarent. *Semper*, inquit Juſtinianus in epiſtola ad Antiſtites (3), *ſemper ſtudium fuit orthodoxis & piis Imperatoribus patribus noſtris, pro tempore exortas hæreſes per congregationem religioſiſſimorum Epiſcoporum amputare, &, recta fide ſincere prædicata, in pace Sanctam Dei Eccleſiam cuſtodire . . . . Nos igitur ſequentes ſanctos patres, & volentes rectam fidem ſine quadam macula in Dei Eccleſiis prædicari, & impiorum conatum reſecare, primum quidem, & in veſtris vos degentes Eccleſiis interrogavimus de prædictis impiis Tribus Capitulis, & veſtram nobis voluntatem manifèſtam feciſtis, pro qua & comprobavimus vos, quod indubitanter cum omni alacritate rectam fidem confeſſi eſtis, & impiam condemnaſtis. Quoniam vero & poſt condemnationem a vobis factam, in eiſdem ipſis permanent quidam,* ea-

3 Tom. VI. Concil. pag. 20.

eadem impia Tria Capitula vindicantes, ideo vocavimus vos ad Regiam Urbem hortantes communiter convenientes, quam habetis pro his voluntatem iterum manifeſtare. Auctor tamen eſt Liberatus (quicquid ſit de ejus hæreſi, ac de ſuſcepta ab eodem Trium Capitulorum defenſione) (4) ſcriptum Theodoro impellente edictum ab Imperatore fuiſſe, in quo eadem Tria Capitula condemnabat.

III. Vigilius Summus Pontifex tum venerat Byzantium ad Imperatorem. Quare, ut narrat Theophanes, & Antiſtitum ſententiam approbavit, & ſemel etiam atque iterum eadem Tria Capitula condemnavit. *Vigilio enim*, inquit Juſtinianus, *Religioſiſſimo Papæ antiquioris Romæ cum perveniſſet ad hanc regiam civitatem de Tribus Capitulis ſubtiliter omnia manifeſtavimus, & interrogavimus eum, quid de hac cauſa ſapit: & Ipſe non ſemel, nec bis, ſed etiam ſæpius in ſcriptis anathematizavit impia Tria Capitula. Quod vero ejuſdem voluntatis ſemper fuit de condemnatione Trium Capitulorum, & per plurima alia declaravit, & per condemnationem Ruſtici & Sebaſtiani aliquando Diaconorum antiquioris Romæ: qui cum primum ſuſcepiſſent factum ab eo Judicatum in quo anathematizavit eadem impia Capitula, poſtea ſuſceperunt, & defenderunt eorum impietatem. Sed etiam Valentiniano Epiſcopo Scythiæ,*

4 Vide Garnerium de V. Synodo ad Liberatum, Caveum in ſœculo Eutychiano, Du-Pin Nouvel. Biblioth. Eccleſiaſtiq. Tom. IV.

thiæ, *&* *Aureliano Arelati*, *quæ eſt prima Sanctiſſimarum Galliæ Eccleſiarum*, *ſcripſit & manifeſtavit de condemnatione Iſtorum Capitulorum. & præcepit eis nihil ſuſcipere*, *quod a condemnatis Diaconis ſcribitur contrarium prædicto Judicato*: *& compendioſe ſemper in eadem voluntate perſeveravit.* Et Patres in Sexta Collatione: *Ille* (Vigilius) *multoties quidem in ſcriptis ſecreto ſuam voluntatem manifeſtavit condemnans iſta Capitula*: *quod & ſine ſcriptis ſæpius dixit coram piiſſimo Imperatore præſentibus quidem glorioſiſſimis judicibus*, *præſentibus autem plurimis ex veſtro ſancto Concilio*, *& nunquam intermiſit anathematizans eos*, *qui vindicant Theodorum Mopſueſtenum*, *& epiſtolam*, *quæ*, *dicitur Ibæ*, *& Theodoreti conſcriptam contra rectam fidem*, *& duodecim Capitula Sancti Cyrilli.*

IV. Actum poſtea fuit de habenda Synodo Œcumenica, in qua cum de aliis rebus, tum maxime de his Tribus Capitulis diſceptaretur: id quod celerrime Vigilio jubente, Juſtiniano autem opibus nunciiſque adjuvante factum eſt (5). Hinc Juſtinianus alloquens Epiſcopos: I 4 *Cum*

5 Vigilii ſententia Synodum fuiſſe convocatam, Baronius animadvertit ad A. C. DLIII. num. 24. Confer Nat. Alexand. Diſſ. I. in ſœcul. VI. Juſtiniano Vigilium conſonuiſſe Patres VI. Synodi Act. XVIII. teſtantur. Narrantes enim Eutychetis & Dioſcori factas ab Eccleſia damnationes: *Sicut*, inquiunt, *& Vigilius poſthæc Juſtiniano piiſſimo conſonuit*, *& Quintum Concilium conſtitutum eſt.* Hanc vero Synodum indictam anno

Cum perveniſſetis , inquit , *ad hanc regiam civitatem ſcripta facta ſunt ad invicem a Veſtra Sanctitate & a Vigilio Religioſiſſimo Papa antiquioris Romæ , ut omnes vos uniti conveniatis : & propter illos , qui ſive ex ignorantia , ſive ſcientia impietatem Capitulorum defendunt , congruum judicium eis , quæ a Sanctis quatuor Synodis pro fide definita ſunt , proferatis . . ut forma daretur rectæ fidei conveniens : & quod & Ipſum & Veſtram Sanctitatem in ſcriptis interrogavimus de hoc , ut aut tamquam impia capitula ab omnibus condemnarentur , aut , ſi putat recta eſſe , aperte ſuam manifeſtet voluntatem. . . Ille vero nobis mandavit , quod de prædictis Tribus Capitulis per ſemetipſum faciens , porriget nobis . Adhortamur igitur etiam vos de his diſceptare.*

V. At vero ſynodo Vigilius non interfuit , primo ut majorem numerum Patrum Latinorum expectaret , mox cauſa valetudinis , tandem quod Ibam , Theodorum , ac Theodoretum nominatim con-

---

XXVI. Juſtiniani Anaſtaſ. Biblioth. in Hiſtor. Eccleſ. ſcripſit . Anonymus de Origine Urbis Cpolis anno X. Catalogus Imperatorum apud Joan. Leunclav. Juris Græco Rom. Lib. II. anno VI. Actiones anno XXVII. ſubſcribuntur . *Et quia contigit* (verba ſunt Patruum V. Synodi Act. VIII.) *Vigilium religioſiſſimum in hac Urbe degentem , omnibus intereſſe , quæ de his Tribus Capitulis adnotata ſunt , & tam ſine ſcriptis , quam in ſcripturis ea ſæpius condemnaſſe , poſtea tamen & conſenſit in ſcriptis in Concilio convenire , & diſceptare una nobiſcum de his Tribus Capitulis , ut definitio communiter ab omnibus nobis præbeatur fidei rectæ conveniens* . Lege omnino I. & II. Collationem .

condemnandos non arbitrabatur. (6) Atque hæc quidem res illa fuit, de qua nec cum Vigilio Patres, nec patres ipſi inter ſe conſentiebant, ut Pelagius Pontifex ad Epiſcopos Iſtriæ, & ad Eliam Aquilejenſem teſtatur.

VI. Cum vellet itaque omnino Juſtinianus ut Concilio Vigilius intereſſet, precibus eumdem ac minis flectere tentavit: quibus nihil profecit. Quanquam enim Sanctus Pontifex initio Tria Catula condemnaſſet (7), veritus deinde eſt, ne ea condemnatione Synodi Chalcedonenſis auctoritas imminueretur. Iratus his quammaxime Imperator, non modo Vigilium, ſed alios etiam Antiſtites vi tentat & contumeliis: apud quos cum nihil proficeret (neque enim preces apud eos valebant, nec flecti minis ac ſuppliciis poterant, ut aut Concilio intereſſent, aut decreta ejuſdem approbarent) alios multifario vexavit, alios in exilium ejecit. Ac Vigilium quoque aliis modis fuiſſe crudeliter violatum aliqui cenſent, atque etiam

---

6 De hoc late in prima & ſecunda Synodi Collatione. D. Gregorius Lib. II. Epiſt. 51. : *In Synodo*, inquit, *in qua de Tribus Capitulis actum, aperte liquet, nihil de fide convulſum eſſe, vel aliquatenus immutatum, ſed ſicut ſcitis, de quibuſdam ibi ſolummodo perſonis eſt actitatum*. Et Lib. IV. Epiſt. 39. *In ea (ſynodo) de perſonis tantummodo, non autem de fide aliquid geſtum eſt*.

7 *Poſt Coſ. Baſilii*, inquit Victor, anno X. *Africani Antiſtites Vigilium Romanum Epiſcopum damnatorem Trium Capitulorum Synodaliter a Catholica communione, reſervato ei pænitentiæ loco ſecludunt, & pro defenſione memoratorum Trium Capitulorum literas ſatis idoneas Juſtiniano Principi per Olympium magiſtrum mittunt*. . . .

etiam civitate dejectum, putant nonnulli. (8) Sed Natalis Alexander, Noriſius, ac Ballerinii pulſum in exilium fuiſſe Vigilium negarunt. Interim Synodi Patres in Tria Capitula ſententiam damnationis protulerunt: quam cum cognoviſſet Vigilius Synodo Chalcedonenſi non adverſari (hic namque vel fuerat ab exilio revocatus, vel nunquam ab urbe diſceſſerat) non minis nec precibus Imperatoris, ſed ſponte ſua ac lubenter approbavit. Quanquam Garnerius ipſe, vir plane doctus, & in antiquitate eruditus, fictam eſſe Vigilii epiſtolam, qua Synodum confirmavit, probare aggreſſus eſt: quam quidem epi-

---

8 Carceri fuiſſe quæſitum Clerici Italiæ ad Legatos Francorum ſcripſerunt. Extat hæc epiſtola Tom. V. Concil. pag. 1399. Liberatus autem narrat, obſtitiſſe Vigilio ſolummodo, nec eumdem ullo pacto violaſſe. Confer Breviarium Liberati cap. 22., 23., 24. Theophanes auctor eſt, Juſtinianum comprehendi Summum Pontificem imperaſſe, ſed facti ſui cum eum pœnituiſſet, eidem conſenſiſſe. Tandem in Chronico Marcellini legitur actum fuiſſe in exilium. Attamen hæc Marcellini non ſunt, qui ſcripſit uſque ad quartum Conſulatum Juſtiniani. *Ego vero*, idem Marcellinus inquit, *ſimplici dumtaxat computatione Orientale tandem ſecutus Imperium per Indictiones, perque Conſules infraſcriptos centum & quadraginta annos a Septima videlicet Indictione, & a Conſulatu Auſonii & Olybrii . . . enumerans, & uſque in Conſulatum Magni Indictionis XI. colligens eorumdem auctorum* (Euſebii & Hieronimi) *operi ſubrogavi: itemque alios XVI. annos a Conſulatu Juſtini Auguſti primo uſque in Conſulatum Juſtiniani Auguſti quartum ſuffeci.* Confer Sirmondum in Præfat. ad Marcellinum, & Baronium ad A. C. DXXXIV. num. 73.

epiſtolam primus De Marca e Bibliothecarum angulis & pulvere in lucem eduxerat, doctoque commentario illuſtraverat.

VII. Ego vero cum hæc tum alia multa prætereo, ne in rebus his, pluſquam neceſſitas cogit, immorer. Id unum omittere non debeo, tot Byzantii fuiſſe, tantaque audacia præditos homines, ut impiæ cauſæ ſtudio impudenter ac temere, & Concilii acta mutare, & libros Mennæ ac Vigilii nomine fingere & vulgare auſi ſint. De hac enim re ſæpe querelæ inveniuntur, atque in Sextæ Synodi Actione quarta legitur, corrupta ab impiis fuiſſe Quintæ Synodi Acta, Mennæ præterea orationem ad Vigilium Synodo omnino contrariam circumferri, geminos tandem libros, omni quidem hæreſi refertos, Vigilii nomine ornatos, perlegi, quos minime eſſe Vigilii pro certo conſtabat. Hinc in duodecima atque decimaquarta Actione Patres ſic cum ingenti animi dolore loquuntur. *Sanctum Concilium exclamavit: Anathema libro, qui dicitur Mennæ ad Vigilium, & eum qui finxerunt ſive ſcripſerunt: Anathema libellis, qui dicuntur facti fuiſſe a Vigilio ad Juſtinianum, & Theodoram divæ memoriæ, qui & ſunt falſi demonſtrati: Anathema ſimul omnibus, qui falſaverunt acta Sancti & Univerſalis Quinti Concilii.* Atque in exemplari Pariſienſi Actione nona hæc alia profecto leguntur. *Non ſolum autem in hoc libro* (videlicet Actorum Quintæ Synodi) *fecerunt hanc additionem libellorum, qui dicuntur Vigilii; ſed quicunque libri Quintæ Synodi ad eos pervenerunt, non haben-*

bentes libellos, qui dicuntur Vigilii, addiderunt iidem (hæretici) *Macarius & Stephanus*. Quin etiam Summus Pontifex Pelagius ad Iſtriæ Epiſcopos ſcribens: *Non ergo*, inquit, *patiamini falſis ſuſpicionibus aut rumoribus denuo agitari, & in diviſione Eccleſiæ malorum hominum perſuaſionibus remanere*. Atqui idem Summus Pontifex in epiſtola ad Childibertum ſic loquitur. *Hi ergo, qui in ipſis erroribus remanſerunt conglobati ſunt in unum, & agunt vehementer, qualiter Eccleſiam Catholicam ſcindant atque perturbent. Nam & huc in Italiam quamdiu nos Cpoli fuimus, de nomine noſtro chartas mittebant dicendo, quaſi nos dixerimus fidem Catholicam corruptam. Nunc vero etiam contra nos afferunt huc chartas tacitis nominibus, ut neſciatur quis eas miſit. Sed ſic faciunt Chriſtiani, qui in Cpoli ſunt, dum eos conſtet non eſſe Chriſtianos*. Tandem Leontius Scholaſticus in ſexta Actione: *Sciendum eſt*, inquit, *circumferri quoſdam Theodoreti ac Neſtorii epiſtolas, in quibus ſe mutuo recipiunt; ſed fictitiæ ſunt, & fingunt eas hæretici, ut earum ope Synodum oppugnent*. Atque hinc minime mirum eſt, ſi Sextæ Synodi Libri, qui ſuperſunt, nec græci ſint ſemper, nec integri omnino.

VIII. Sed ex quo Vigilius Synodi ſententiam approbavit, nonnulli ex veteribus, Eumdem Synodo interfuiſſe ac præfuiſſe ſcriptum reliquerunt. Hi autem fuerunt Cyrillus Scithopolitanus homo integer & gravis, in vita quam ſcripſit Sabæ Monachi, Euſtathius & Victor Tununenſis, qui ea ætate floruerunt: quibus Nilus Rhodius Me-

Metropolita, Glycas & Zonaras acceſſerunt. Porro Cyrillus ſic loquitur (9): *Itaque cum Sancta & Univerſalis Quinta Synodus Conſtantinopoli eſſet coacta communi generalique conſenſu anathemati ſubmiſſi ſunt Origenes, & Theodorus Mopſueſtenus, cum iis, quæ de præexiſtentia & reſtitutione dicta ſunt ab Evagrio & Didymo præſentibus quatuor Patriarchis, atque decreta comprobantibus. Porro poſtquam noſter a Deo protectus Imperator Acta Synodi Hieroſolymam miſiſſet, omneſque per Paleſtinam Epiſcopi confirmaſſent atque roboraſſent . . . Neolauritæ a Catholica communione ſeparaverunt ſe.* Euſtathius autem in Vita divi Eutychii ſic ait: *Cum multa Sancta Concilia diverſis locis atque temporibus ſint celebrata, ex quo conſtituta eſt Chriſtiana religio; nemo tamen meminit unquam niſi hujus magni viri tempore quatuor patriarchas conveniſſe. Itaque cunctis dubitionibus & controverſiis, non per violentam coactionem, neque per ſtudia partium, ſed per efficaciam demonſtrationum ſuaſionumque diſſolutis, pax ſumma & magna tranquillitas in Dei Eccleſia eſt ſubſecuta. Quatuor autem Patriarchæ hi fuerunt: Vigilius veteris, & hic Eutychius novæ Romæ: Apollinarius magnæ Alexandriæ, Dominus Theopoleos: qui tamquam in corpus unum ex quatuor elementis conflati unanimes, idemque ſentientes, manus inter ſe conjunxerunt*, & cetera. Victor

9 Scripſit Cyrillus, de quo videndus Oudinus & Du-Pinus, præter vitam Euthymii, quæ extat apud Cotelerium in Analectis Græcis Maurinorum, & in Spici-

Victor Tununenſis. *Poſt Coſ.*, inquit, *Baſilii V.C. anno XIII. Cpli Synodus*. . . *colligitur: cui Præſules Sedium aderant Vigilius Romanus Epiſcopus, Apollinarius Alexandrinus* . . . *Promotus Antiochenus* . . . *Euſtochius Macario remoto Hieroſolymitano Epiſcopo, Epiſcopus factus, & Eutychius Cpolitanus* . . . *Ibi Tria ſæpe fata Capitula cum defendentibus ea damnationi ſubjiciunt*. Nilus Rhodius: *Sancta & Œcumenica V. Synodus* (ita enim in Libro de Œcumenicis Synodis loquitur) *habita eſt Cpoli imperante Juſtiniano congregata a CLX. Patribus adverſus inſanientem Origenem. Præerant Synodo Vigilius Papa Romæ, Eutychius Cpolis, Apollinaris Alexandriæ, Domnus Antiochiæ, & Damianus Hieroſolymorum*. His addimus Michaelem Glycam, qui in quarto Annalium hæc ſcripſit: *Conſtantinopoli Quinta Synodus a CLXV. Patribus eſt celebrata, cui præerant Eutychius Cpolitanus, Apollinarius Alexandrinus, Domus Antiochenus, Vigilius Romanus Papa*. Zonaras tandem: *Mennas*, ait, *cum per annos XVI. pie gubernaſſet, obiit. Ei ſucceſſit Eutychius recteque præfuit per annos XII. Sub hoc Concilium V. eſt coactum CLXV. Sanctorum Patrum, quorum Princeps fuit Vigilius Pontifex Romanus* (10).

IX. Id

---

legio Dacheriano, Vitam S. Sabæ Monachi apud eumdem Coteletium tom. 3. Monum. Eccl. Græcæ. Victor Tununenſis autem acerrimus defenſor fuit Trium Capitulorum, teſte Iſidoro de Vir. Illuſtr. cap. 38.

10 Auctor Incertus de Sex Synodis: *Quinta Sancta, & Œcumenica Synodus habita eſt Cpoli ſub Juſtiniauo Se-*

nio-

IX. Id Photius quoque teſtatur: qui tamen Œcumenicam Synodum, aut a Synodo Mennæ, aut ab alio fortaſſe Concilio Epiſcoporum non ſeparavit. Verba Photii in epiſtola de ſeptem Synodis hæc ſunt: *Sanctum & Æcumenicum Quintum Concilium centum ſexaginta quinque Epiſcoporum præſentia & concurſu Conſtantinopoli celebratum eſt. Præfuerunt Mennas primum, deinde Eutychius ipſius Regiæ civitatis antiſtes, & Vigilius Romæ Epiſcopus (qui in civitate quidem erat, ſed Concilio non aderat: & quamvis ad ſacri cœtus conventus promptus non eſſet, communem Patrum fidem libello comprobavit) & Apollina-*

---

niore, & Vigilio Papa Romæ & Eutyche Patriarcha Cpolis. Confer omnino Epiſt. 24. D. Gregorii Lib. I., Pelagium in epiſtolis, quas ſcripſit de Tribus Capitulis tum ad Eliam Aquilejenſem, tum ad Epiſcopos Iſtriæ, Agathonem in Epiſtola ad Patres VI. Synodi, Manſuetum in Epiſtola ad Conſtantinum Imperatorem, tandem Auctorem Diurni Pontificum Romanorum. Patres Collatione VIII. ex editione Baluzii hæc habent: *Certum eſt veſtræ beatitudini quantum ſemper ſtudium habuit invictiſſimus Imperator, ut dubitatio, quæ exorta eſt pro Tribus Capitulis finem accipiat, pro quibus vobis diſceptatio eſt, & calumnia ex his facta, ut Dei Eccleſia liberetur, non ignorans veſtræ rectitudinem ſanctitatis, & quam pro iſtis Capitulis voluntatem habetis, ſed ut etiam ſynodice de Tribus Capitulis ſententia proferatur. Ergo non intermiſit & Vigilium religioſiſſimum orthodoxe vobiſcum convenire, & congruum rectæ fidei Tribus iſtis Capitulis finem imponere*. Poſtea vero ſic legitur: *Communiter convenire & hoc cum veſtro Sancto Concilio facere hactenus diſtulit*. In ſubſcriptionibus autem Vigilii nomen non legitur. Multa aut corruptioni librorum, aut negligentiæ amanuenſium danda ſunt.

linaris Alexandriæ, & Didymus & Evagrius Euſtochii Hieroſolymorum Epiſcopi vicem gerentes.

X. At Quis unquam aſſeruit (de illa enim controverſia non loquor, in qua viri docti diſputarunt, num quædam acta in Mennæ concilio ſub nomine veniant Quintæ Synodi) quis, inquam, aſſeruit, Quintæ Synodo Mennam præfuiſſe? Hic namque primo ac vigeſimo anno Juſtiniani mortuus eſt. *Vigeſimo primo anno Juſtiniani*, inquiunt Sextæ Synodi Patres tertia actione, *divinæ memoriæ obiit Mennas*. An exploratum omnibus non eſt, & ſub Eutychio inchoatam, & ſub eodem finem Quintam Synodum accepiſſe? Hujus quippe nomen legitur in epiſtolis, in Actis concilii invenitur, ab hiſtoricis tandem laudatur. Denique ſuo Judicato Vigilius, quod λιβέλλον Photius appellat, non Synodum Œcumenicam, ſed habitum in cauſa Trium Capitulorum præjudicium approbavit.

LIBER XI.

De Vitiis & Virtutibus Juſtiniani.

QUI res geſtas hominum ſcribere aggrediuntur, illam partem profecto omittere non debent, in qua aut de virtutibus, aut de vitiis illorum diſceptatur. Hæc enim quanquam ſit difficilior, attamen eſt ad vitam accomodatior: quam ut legerint alii, quid cavendum & fugiendum ſit, quid cum laude gerendum, facile exemplis cognoſcunt. Animum vero ſuum deſpondent omnes, cum rem hanc plenam periculi & invidiæ, plenam eſſe difficultatis intelligunt. Nam cum eſt difficile interdum definire, quid vitio verti, quid laudi & gloriæ poſſit; tum videtur maxime invidioſum, aut ſuis vitiis quemquam deprimi, aut virtutibus multis extolli. Mea autem ſententia hominis eſt ingenui noſſe, quid de illis, quorum ſcribit res geſtas, aut viri ſapientiſſimi & honeſtiſſimi putent, aut memo-

riæ veteres ſide digni mandarint: atque id ſine invidiæ ac reprehenſionis metu cæteris exponere. Ita nos quidem agemus in Juſtiniano: de cujus virtutibus plura deinceps dicemus, cum de vitiis nonnulla adnotaverimus.

II. Procopius, Evagrius, & Zonaras, ac poſt horum ætatem alii multi, redarguunt vehementer Juſtinianum, graviſſima ejus flagitia reprehendunt, ejus denique famam maledictis inſectantur. Sed quoniam fere omnes Procopium ſunt ſequuti (1), quid ſit de hoc judicandum videamus. Scripſit ἀνέκδοτα Theopompi, Craſſique exemplo Procopius: (hic enim primum orator fuit, Comes deinde & Scriba Belisarii, Urbis tandem Præfectus & Senator) in quibus egit de vitiis Juſtiniani, atque eſt etiam in eum invectus acerbiſſime. (2) Etenim ſi vera ſunt, quæ

1 Evagrius ex Procopio ſuam deprompſit hiſtoriam, ut ipſe teſtatur. Zonaras ex Evagrio. Ex Zonara & Procopio Nicephorus. *Non intempeſtivum*, inquit Nicephorus Lib. XVII. cap. 10., *fuerit reliquas etiam Juſtiniani Imperatoris res geſtas memoratu dignas, neque prorſus ab Eccleſiaſticis rebus abhorrentes, in hiſtoria ita recenſere, & quoad ejus ſieri poteſt, contexere, quæ a Procopio Cæſarienſi eleganter admodum & docte in temporum ſuorum hiſtoria ſunt conſcripta.*

2 Multa de Procopio Martinus Hankius de Byzantinarum Rerum Scriptoribus Part. 1. cap. 5., & Fabricius Biblioth. Græc. vol. VI. pag. 248. Prodierunt primum Anecdota Procopii ex Codice Vaticano, atque ex Verſione Nicolai Alemanni anno 1624. His adnotationes ſuas addidit Alemannus, qui mirum eſt, quantum

quæ narravit, non homo, ſed bellua quidem fuit Juſtinianus; non flagitioſus, ſed monſtrum ingens, immane, intollerabile; non male imperium adminiſtravit, ſed leges delevit, æquitatem oppreſſit, remque publicam omnem funditus evertit. Namque Imperium ſuum barbaris diripiendum, ducibus lacerandum reliquit: vaſtari urbes, & oppida ab incendiis permiſit; ſeditiones fovit cædeſque, audacium turbulenta conſilia non repreſſit. Tot præterea impie ac nefarie fecit, quot vix quidem poſſunt excogitari; toties in Deum, toties in affines, toties in domeſticos, ſubjectoſque peccavit, quoties aut extitit occaſio, aut impulit libido, aut voluptas & deſiderium vocavit, traxit, ſolicitavit. Impius tandem ſtudio, ferox natura, crudelis voluptate, vio-

---

tum ſit adſenſus Procopio. Joannes Eichelius Procœmio & animadverſionibus illuſtratam hanc hiſtoriam iterum vulgavit, quid in vertendo Alemannus peccaverat, adnotavit, & ἀπολογίαν ſcripſit Juſtiniani, συγχρόνων auctoritate. Thomas Rivius quoque adverſus Procopium Juſtinianum defendit, poſt quem etiam Chiffletius atque Heineccius. Chriſtianus Thomaſius edere ἀνέκδοτα cogitabat, quibus præter illas Alemanni & Eichelii, ſuas quoque animadverſiones addidiſſet. De anno, quo ſcripta fuerunt, diſputant viri docti. Alemannus vivo Juſtiniano ſcripta fuiſſe exiſtimavit, Hankius non uno tempore, ſed diſtinctis intervallis, Eichelius & Fabricius anno Juſtiniani XXII. Mihi vero idem huic opinioni obſtare Procopius videtur, qui in Procœmio dubitans, an eſſent omnes fidem ſibi præſtaturi, inquit: *Maxime cum harum hiſtoria longinquus temporis lapſus magnam vetuſtatem attulerit.*

violentus, avarus, ſuperbus, libidinoſus; ac, ne aliquid ipſi ex tot vitiorum genere deeſſet, ſcelerum omnium ſedulo occaſionem quæſivit.

III. Quæ quidem omnia, etſi primo oculo appareant fuiſſe excogitata; ſingi tamen ab eodem de uno homine potuiſſe vix credibile videtur. Quare & ii, qui poſt Procopium ſcripſerunt, non modo omnia non adoptarunt, ſed etiam quæ leviora ſunt ex eodem expreſſerunt. Avaritiam enim, & arrogantiam, & levitatem reprehendunt; ac de ejus temeritate in rebus quibuſdam queruntur.

IV. Nemo eſt autem, ut cenſeo, quem lateat, quantum inter doctos de hujus libri auctore diſputetur. Hunc enim, cum aliquibus ex veteribus notus non fuerit, ut Photio atque Agathiæ, nec ratione ulla orationis excellat, imo ſcriptus ſine ordine, ſine ſtudio, ſine labore videatur; non Procopii eſſe, ſed otioſi græculi cujuſdam, homines eruditi exiſtimarunt. (3) Verum

3 Agathias, & Photius Cod. 63. octo tantum Procopii libros commemorarunt: videlicet de *Bellis* & *Ædificiis*. Voſſius Lib. II. de Hiſtor. Græcis cap, 22., genuinum Procopii opus ἀνέκδοτα, cognovit. Illorum enim Evagrius Hiſtor. Eccleſ. Lib. II. meminit, & Svidas atque Nicephorus eadem Procopio attribuerunt: quorum alter Nicephorus Arcanam hiſtoriam laudum veterum retractationem, & παλινῳδίαν quamdam nuncupavit. Combefiſius autem in Manipulo Rerum Cpolitanarum pag. 292., & Mottanus Vayerus in Diſſ. de Libertate, num hæc ſint adſcribenda Procopio dubitarunt. Tandem Balthaſſar Bonifacius, ad Dominicum Molinum ſcribens, cen-

rumtamen quid de hac re cenſendum ſit non deffinio: præſertim cum viri docti hæſerint ſæpiſſime in quæſtione dijudicanda. Id unum contendo, nullam eſſe huic libello ſive Procopii ſit, ſive alterius cujuſdam obtrectatoris præſtandam fidem. Si enim hujuſce auctor eſt Procopius, ſi ab eodem ſcriptus eſt, ſi auſu temerario illa, quæ vix quidem poſſunt excogitari, effutivit,

 ob-

cenſet, putidum eſſe græculi audacis monumentum: miraturque prærerea, non ei a Rivio motam de ſtatu fuiſſe quæſtionem. Ita Eichelius quoque exiſtimavit, a Fabricio cum aliis, notatus. Etenim Eichelius argumento eruto ex inopia exemplarium maxime utitur, quorum unum extat in Vaticana Bibliotheca, nec integrum exhibitum ab Alemanno (etenim *in excuſis exemplaribus*, inquit Guill. Cave, *paginæ nonnullæ horrendas Theodoræ/impudicitias & libidines narrantes omiſſæ ſunt. Loca duo de impudicitiis Theodoræ Auguſtæ ex MS. Vaticano primus edidit Bernardus Moneta Tom. III. Menagianorum Amſtel. MDCCXVI.*) alia duo perierunt. Nam horum unum Cpoli in Galliam translatum eſt, unum Pinellus olim poſſedit Pithoei non ſolum, ſed & Panciroli teſtimonio, qui in Notitia Dignitatum utriuſque Imperii longum fragmentum exhibuit. Baronius Anecdota Procopii non legiſſe videtur, licet Vaticana Bibliotheca ſit uſus: quod de Geſnero dici non poteſt, nec de Petro Gyllio: qui licet ſcripſerit an. 1561. in Libro III. de Boſph. Thracio cap. 4. ait: *Procopius quidem in libro nuncupato* περὶ τῶν ἀνέκδοτων, *quem ſcripſit contra Juſtinianum*, & cætera. Denique vir doctus *Léveſque de la Ravalière* ἀνέκδοτων auctorem non eſſe Procopium integro libello defendit. Putat enim a Cæſarienſi quodam Advocato ſcripta fuiſſe Evangelii nomine, ſed non ſolidis argumentis. Extat Tom. XXI. de l'Hiſtoire de l'Académ. Royal. des Inſcription.

obſtant ſua eidem alia ſcripta de Juſtiniano teſtimonia; ſi autem Procopii non eſt, huic incerto ſcriptori opponimus Procopii auctoritatem, de cujus quidem ætate non diſputatur.

V. Non dicam ego, hanc hiſtoriam invidia quadam & ira redolere, ut ſeſe ipſa condemnet: (4) atque etiam omitto, ea quæ in hoc libro narrantur ſola Procopii fide niti, qui & multa propalam geſta non vidit (etenim eſt fere ſemper in caſtris verſatus), atque ea, quæ fieri ſolent remotis arbitris, audire tantum ex aliorum ſermone potuit. Dicam itaque ſolum, hanc mihi videri impudentem fabularum collectionem: quam, ut iræ ac libidini ſuæ auctor obtemperaret, evulgavit. Quid enim aliud ſibi vult, id quod narrat de Juſtiniano, non a patre Sabatio, ſed a dæmone quodam fuiſſe generatum? eumdem ſemper tamquam dæmonem habitum fuiſſe & reputatum? ſepe etiam capite in etherem converſo, & corporis forma penitus mutata, tamquam novum monſtrum apparuiſſe? noctu tan-

4 Guill. Cave: *In ea*, inquit, *Procopius ſumma non tam audacia dicam, quam mentiendi & calumniandi prurigine, turpiſſima & inaudita hactenus ſcelera Juſtiniano Imperatori aliiſque affingit: adeo ut nullo alio fine eam ſcripſiſſe videatur, quam ut optimi principis aulam, tanquam diabolorum lernam orbi inviſam redderet. Tanta quin etiam in ea ubique ſcatet fortiter conviciandi libido, tanta mendaciorum inverecundia, a ſolita Procopii gravitate alieniſſima, ut ſuppoſititium eſſe opus, & Procopio falſo inſcriptum viri doctiſſimi opinati ſint.* Idem Fabricius & Struvius cogitarunt.

tandem, quodam genio apparente, perterritum, ac de ſomno excitatum; totis artubus contremuiſſe, ſæpe vigilantem expaviſſe? Quidnam ea, quæ de Theodora, uxore Juſtiniani, prædicavit? Non mulierem illam, ſed larvatum genium quemdam fuiſſe? Sæpe cum larvis, in cubiculum irrumpentibus; conſueviſſe? Sæpe cum iiſdem pugnaſſe, ac ſæpe tandem in eas ſumma vocis contentione ab aliis auxilium imploraſſe?

VI. Sed, ut ante dixi, obſtat huic libro auctoritas Procopii, ex communi hiſtoria petita, quam ejuſdem eſſe Procopii, certum eſt. Quid nam igitur in prima de Ædificiis oratione ſcripſit de Juſtiniano Procopius? *Noſtro ſæculo*, inquit, *Juſtinianus Rex adeptus curam Reipublicæ, per varios errores commotæ, non ſolum illam majorem & ſplendidiorem effecit . . . Verumtamen innumeras civitates, quæ prius non erant conſtruxit, opinionem de Deo erroneam, & in multa diſtrahentem correxit, everſiſque viis omnibus in errorem ducentibus, in ſolidæ fidei unico fundamento ſtare procuravit*. Tum ait: *Præcipuam Regis noſtri clementiam illi indicant, qui, Regi ad mortem uſque ſtructis inſidiis, manifeſte deprehenſi, non ſolum non ſuperſunt adhuc, & ſua bona libere poſſident, ſed etiam Romano exercitui præſident, & Conſulari dignitate honorantur*. Poſtea vero: *Omnibus illis diebus*, inquit, *qui Paſchalem ſolemnitatem præcedunt, jejunio addictus, duram quamdam vitam egit, nedum Regi alienam, ſed neque privato civi aliquo modo acceptabilem. Per duos dies cibis abſtinebat: ſummo*

mo mane identidem e lecto ſurgens Reipublicæ invigilavit, cujus negotia verbo & opere pertractans, matutinum, meridianum, & non minus nocturnum tempus impendit. Quid præterea in quarta Oratione? *Sed a patria Regis*, inquit, *mihi oriundum eſſe arbitror. Hanc enim ſolam decet extolli, divulgari, venerari, quæ talem Regem enutrivit, talem Romanis præſtitit; cujus opera verbis enarrare, & litteris commendare impoſſibile eſt.* Tum: *Hinc Juſtinianus Rex orbis reparator oriundus erat.* Quid tandem in tertio libro Belli Italici? *Circa Chriſtianorum dogmata componenda nimis intentus, eorum altercationes, ut recta diſponeret, nitebatur.* Quæ omnia nemo eſt, qui non videat, quantum ornent Juſtinianum, quæ quidem ſcripta ſunt a Procopio, quæ aliis ſæpe in locis confirmantur.

VII. Ille ergo fuit opinione Procopii Juſtinianus, qui non modo Romanum Imperium, ſed labentem orbem univerſum ſuis legibus, ſuis armis, ſua virtute reparavit: qui magnificus & liberalis, qui pius, qui clemens, qui religioſus: cujus tandem præclara facta non imitari modo, ſed ne complecti quidem poſſe oratione exiſtimavit. At quale eſt judicium de Juſtiniano in Arcanis? *Is fuit Romanis*, inquit, *tot tantorumque malorum auctor, quot & quanta audita non ſunt ex omni ſuperiorum ætatum memoria . . . Non illi ſatis Romanum Imperium evertiſſe viſum eſt; ad ſubjugandam Africam & Italiam vires convertit, ut cum ſubjectis ſibi provinciis illas etiam gentes unum in exitium deturbaret . . . . Nam* mira

mire ſtolidus fuit, & lento quam ſimillimus aſino, capiſtro facile trahendus, cui & aures ſubinde agitarentur. His, inquit præterea, *atque plurimis aliis laboravit vitiis ultra modum humanæ pravitatis, quam a ſingulis hominibus elicitam, in illius conjeciſſe animum natura viſa eſt. Nam præterea delationes facillime admiſit; & irrogavit pœnas. Nunquam cognita cauſa judicavit; ſed audito delatore actutum ſententiam tulit, litteriſque confectis temere decrevit locorum excidia, Urbium incendia, populorum direptiones. Quare ſi quis inde repetere a principio caſus Romanorum ſingulos, cumque his velit committere: mea quidem ſententia longe plures invenit factas ab hoc homine cædes, quam ex omni ante acto tempore.* Tandem: *verum*, inquit, *tot Juſtiniani ſunt flagitia, ut ad ea numeranda nullum tempus ſatisfacturum eſſet.*

VIII. Ille ergo fuit, ipſius Procopii ſententia, Juſtinianus, qui omnia divina & humana pervertit, & bonos omnes cædibus, minis, ſupliciis vexavit, interemit, trucidavit. Quid mihi reſpondes Procopi, ſi a te de Juſtiniano, non iræ vel gratiæ, benevolentiæ vel invidiæ, ſed judicii teſtimonium requiro? Fuit, inquis, Juſtinianus optimus Imperator. At tua quidem ſententia funditus Imperium evertit, nullum ſibi ſcelus, nullum ſibi crimen ſuo veluti jure non vindicavit. Negas id? Quid tum? Fuit, inquis, Juſtinianus non ille quidem Gracchus, qui in forum inter civeis arma projecit, ut inter ſe digladiarentur: nec Clodius ille, qui bonos aut

ferro

ferro ſuſtulit, aut e civitate dejecit: nec Tiberius ſpurciſſimus, nec Caligula impudiciſſimus, nec Nero crudeliſſimus; ſed & cum Clodii impudentia Neronis crudelitatem conjunxit, & Gracchi temeritati fœdas addidit aliorum impudicitias. Verum; inquam ego; paulo ante ipſum prædicaras; optimum fuiſſe Imperatorem. Quid ergo novi affers? Quomodo tute ipſe reſpondes? Cui potius ex tuis libris adſentiemur? Tua enim teſtimonia ſunt inter ſeſe contraria.

Quidnam eſt, obſecro? quid te adiri abnutas?

IX. Satis ne Lector tibi videtur demonſtratum, non ex animi ſui ſententia; ſed aut ſpe quandoque; aut vindictæ ſtudio & ira impellente; hæc de Juſtiniano Procopium ſcriptitaſſe: his, inquam, graviſſimis argumentis, quæ Procopium ipſum, eum ſi ab inferis excitaremus, non perverterent modo ac ſuperarent; verum etiam damnarent? Quid enim aliud ſibi vult adulatio, niſi quod ea litteris commendes, quæ vera non ſunt, quæque alia potes occaſione reprehendere? Quid ſi addis, non correcta modo ab eo fuiſſe, quæ ſcripſerat, ſed etiam alio contrario modo narrata? Quid ſi illa, quæ ficta prorſus apparent? Quid, quæ nec fieri, nec potuiſſe excogitari videntur?

X. Equidem mihi ſemper putavi, in aliis libris Procopium gratiam aſſentatione quæſiviſſe, in Arcanis autem iræ ſuæ indulgere voluiſſe; cum in illis laudi modum non fecerit, in his furo-

furori ſuo obtemperarit. Quare ne adulationi & calumniæ adſentiamur, nec laudem ullam, nec dedecus a Procopio cenſemus repetendum. Sic enim ultro res ipſa ſuadet, ſic viri docti plerique exiſtimarunt (5); ſic tandem omnis, quæ poteſt eſſe, difficultas rejicitur ac propulſatur. Nec vero ego ſum ille, qui omni ſpoliatum laude Procopium dimitto, ut placuit nonnullis; nec tales eidem nenias cantabo, quæ aliis eum hiſtoricis anteponant. (6) Ut enim de rebus multis, veluti de bellis geſtis & ſeditionibus conflatis, & fideliter ſcripſit, & enucleate; ita omnis in eodem & dicendi facilitas, & elegantia & in antiquis rebus diligentia deſideratur. (7) Inimicus ergo Procopius Juſtiniano aut cultus & religionis diſcrepantia (8); aut ambitione & ira, aut

5 Vide Fabricium Biblioth. Græc. Vol. VI. p. 255.

6 Totus eſt in laudando Procopio Thomas Pope-Blount. Boniſac. in Lud. Hiſt. quamvis laudet Procopium, ferre tamen non poteſt Arcanæ hiſtoriæ impudentiam ſingularem. *Procopius*, inquit, *hiſtoricus inſignis, quique rebus a ſe ſcriptis interfuit, verax alioqui, at malignus & ingratus in Juſtinianum, quem anecdotis lacerat virulente ac proſcindit.*

7 Vide Thomam Pope-Blount. Joan. Bodinus in Methodo Hiſtor. omnes Procopii hiſtorias lævitatis accuſavit, eaſdemque Floridus Sabinus pluribus ſcatere mendaciis judicavit, fabulaſque nonnullas in ipſis Antonius Van-Dale de Vera & Falſa Prophetia deprehendit.

8 Opinionem hanc magno rerum apparatu oſtendere eſt aggreſſus Eichelius. Mortanus Vayerus in Judicio de Hiſtoricis εἰδωλολάτρην omnino fuiſſe Procopium exiſtimavit. Martinus Hankius §. 4. *Paganus*, inquit, *an Cri-*

aut quadam animi levitate hanc Arcanam Hiſtoriam ſcriptitavit.

XI. Quo enim fieri pacto potuit, ut avarus eſſet Juſtinianus, qui Eccleſias magno ære alieno contracto liberavit? qui tributa ſæpe provinciis remiſit (9)? a novis ſemper vectigalibus imponendis abhorruit (10)? denique avaritiam legibus coercuit? (11) Etenim ſi liberalitas eſt, pecuniam in amicos erogare; quid erit Templa conſtruere, oppida munire, condere civitates? Quis poterit ſibi perſuadere, libidini luxuriæque vacaſſe Juſtinianum, qui tot pœnis eamdem refrenavit, urbe lenones ejecit, ſuas tandem leges ſanguine multorum confirmavit? Quis ſuperbum illum & arrogantem, qui, velut ex ordine equeſtri judex, præfuit litibus judicandis; ac magnæ pompæ, nimiæque laudi ſuæ eſt adverſatus? Quis illum barbarum & crudelem, qui, licet victor eſſet, pacem ſæpe ab hoſtibus poſtula-

Christianus fuerit non extra controversiam.... Niſi forte nimis perverſus & protervus religionis Christianæ ſimulator fuerit. Voſſius ἀθεΐαν fuiſſe deteſtatum cognovit. At *certe*, inquit Caveus, *quantum ex ipſius ſcriptis perſpicere licet, veri non abſimile mihi videtur, Procopium neque prorſus gentilem fuiſſe, neque prorſus Christianum, cum gentilibus Christianam non veram & unicam eſſe religionem crediſſe, cum Christianis gentilium ritus & ſuperſtitiones ludibrio habuiſſe, cum utriſque ſummum numen cæli terræque conditorem agnoviſſe.*

9 Vide Novell. VI. cap. 8., VIII. cap. 11., XXX. cap. 3., CXLVII., CXLVIII., CLXIII.

10 Vide Novell. XLIII. & CII. cap. 3.

11 Vide Nov. VIII.

ſtulavit, victis ſumma humanitate pepercit, ſibique civeis ferro minitantes, libertate & honoribus cumulavit? At levis animi fuit, & ingratus. Titulos enim ſibi gentium victarum, priusquam eas in ſuam poteſtatem redegiſſet, vindicavit: urbes & magistratus de ſuo nomine nuncupavit: Beliſarium tandem virum fortiſſimum, cujus opera & virtute maxime fuerat uſus, bonis, oculis, & honore ſpoliavit.

XII. Videant autem ii, qui ita cenſent, ne ſibi magis moleſti ſint, quam Juſtiniano. Si namque urbes, & magiſtratus de nomine ſuo dixit, & aliorum eſt uſus exemplo, & conſuetudini temporum inſervivit. De titulis autem gentium, quos ſibi ipſi vindicaſſe immaturo exiſtimatur, quid attinet reſpondere? Nam cur extent in Prooemio Inſtitutionum, in Novellis quibuſdam, denique in aliis monumentis, quæ harum victoriarum ætatem antecedunt, ſi ratio petitur, dicam eos additos ab alia manu fuiſſe populis devictis. (12) Atque hæc dicta certe ſufficerent, niſi tam multi eſſent, qui quæruntur de hac re. Etenim, ut de aliis non dicam, & Joannes Henricus Mylius, & Guillelmus Hieronymus Bucknerus libellum conſcripſerunt: quorum alter id quærit ſolummodo, jurene, an injuria Juſtinianus Germanici & Alemannici nomen uſurparit.

XIII. Ego vero cenſeo, errare prorſus illos,

12. Sæpe id evenit, præſertim Imperatoribus.

los, qui adeo levis animi putant fuiſſe Juſtinianum, ut & nondum victarum gentium nomina ſibi quaſi ſuo jure vindicarit, atque etiam maxime illarum, quibuſcum nec bellum gerere ſtatuerat, & fœdus amicitiaque intercedebat. Et ſane Jornandes & Diaconus (13), ex quo gentes illas ſubegerat revera, hæc nomina meruiſſe Juſtinianum tradiderunt: quorum alterius hæc verba ſunt ex octavo ac decimo de Geſtis Romanorum. *Perſas*, ait, *fortiter devicit . . . Vandalorum gentem . . . uſque ad internecionem delevit . . . Gothorum gentem . . . ſuperavit. Mauroſque poſt hæc Africam infeſtanteis, eorumque gentem Attilam per Joannem Exconſulem mirabili virtute proſtravit. Pari etiam & alias gentes belli jure compreſſit. Quam ob cauſam propter bonorum omnium victorias, ut Alamannicus, Gothicus, Alanicus, Vandalicus, Africanuſque diceretur, habere hæc nomina meruit.* Verum, ut dicebam paullo ante, ſentio conſtantiſſime, hæc nomina ab aliis vel honoris cauſa, dum vixit, accepiſſe, vel poſt mortem a Populo Romano. Porro huic opinioni nec Procemium Inſtitutionum, nec Novæ leges, nec dubia alia monumenta adverſantur; cum hæc gentium nomina primum in iiſdem non ſemper, deinde in aliis diverſa ratione, tandem omnino in pleriſque non reperiantur. Etenim ſi tam amens fuiſſet Juſtinianus, & in

13 Jornand. cap. 59., Paulus Diac. de Geſt. Longob. Lib. I. cap. 25.

in epiſtolis, & in omnium novarum legum prooemio ſe nominibus iſtiſtam præclaris nuncupaſſet. Quid porro fieri potuit facilius, quam quod aliqui (ut fit ſæpe revera) privato ſtudio iis paucis monumentis, quæ ſuperſunt, nomina victarum gentium addiderint aut ex epiſtola aut ex alio loco fortaſſe petita? Tandem ſi gentium nomina plus æquo, ut reprehenditur, adamaſſet Juſtinianus, hæc ſane fuiſſent præſertim in laudationibus inſculpta. At Narſes contra, (quid enim magis, quam illius facto uti, qui Juſtiniani gratiam aucupabatur) ut dejectis Gothis, Italiam Populi Romani Imperio ſubjecit, hac ratione utitur erga Imperatorem, dum ejus nomen perpetuo monumento confirmavit. Etenim poſtquam ſeipſum his verſibus commendavit:

Quam bene curbati directa eſt ſemita pontis
Atque interruptum continuatur iter.
Calcamus rapidas ſubjecti gurgitis undas
Et libet iratæ cernere murmur aquæ.
Ite igitur faciles pergaudia veſtra Quirites
Et Narſim reſonans plauſus ubique canat,
Qui potuit rigidas Gothorum ſubdere mentes
Hic docuit durum flumina ferre jugum:

hæc in laudem Imperatoris adjecit (*).

IMPE-

---

*. Extat apud Gruterum, tom. 1. pag. 161.

IMPERANTE
D̄N̄· PIISSIMO· AC· TRIVMPHALI
SEMPER· IVSTINIANO· PP· AVG· ANN· XXXVIII
NARSES· VIR· GLORIOSISSIMVS
EX· PRAEPOSITO· SACRI· PALATII
EXCONS· ATQVE· PATRICIVS
POST· VICTORIAM· GOTHICAM
IPSIS· ET· EORVM· REGIBVS
CELERITATE· MIRABILI
CONFLICTV· PVBLICO
SVPERATIS· ATQVE· PROSTRATIS
LIBERTATE· VRBIS· ROMAE
AC· TOTIVS· ITALIAE
RESTITVTA
PONTEM· VIAE· SALARIAE
VSQVE· AD· AQVAM
A· NEFANDISSIMO
TOTILA· TYRANNO
DISTRVCTVM
PVRGATO· FLVMINIS· ALVEO
IN· MELIOREM· STATVM
QVAM· QVONDAM· FVERAT
RENOVAVIT

Hæc autem leguntur etiam nunc Romæ in Ponte Salario, quem Narſes victis Gothis collapſum vetuſtate reſtituit. (14) At contra in laudatione inſculpta mortuo Juſtiniano, atque eruta Byzantii a Tournefortio (15), hæc eadem omnia nomina leguntur.

EN.

14 Extat apud Montſauc. Palæograph. Græc. Lib. I. pag. 174.

15 Altera pariter Inſcriptio, quam inferius, Juſtinopoli in Iſtria reperta, extat apud Gruterum loc. cit. p. 164.

ΕΝ . ΟΝΟΜΑΤΙ
ΤΟΥ . ΔΕΣΠΟΤΟΥ . ΗΜΩΝ
ΙΗΣΟΥ . ΧΡΙΣΤΟΥ
ΤΟΥ . ΘΕΟΥ . ΗΜΩΝ
ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ . ΚΑΙΣΑΡ . ΦΛ.
ΙΟΥΣΤΙΝΙΑΝΟΣ . ΑΛΑΜΑΝΝΙΚΟΣ
ΓΟΘΙΚΟΣ . ΦΡΑΝΓΙΚΟΣ
ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΣ . ΠΑΡΤΙΚΟΣ
ΑΛΑΝΙΚΟΣ . ΟΥΑΝΔΑΛΙΚΟΣ
ΑΦΡΙΚΟΣ . ΕΥΣΕΒΗΣ
ΕΥΤΥΧΗΣ . ΕΝΔΟΞΟΣ
ΝΙΚΗΤΗΣ . ΤΡΟΠΕΥΚΟΣ
ΕΥΣΕΒ . ΑΥΓΟΥΣΤΟΣ
ΑΝΕΝΕΩΣΕΝ . ΦΙΛΟΤΙΜΙΑ
ΤΑ . ΔΕΣΜΙΑ . ΚΤΙΣΜΑΤΑ
ΤΗΣ . ΠΟΛΕΩΣ . . .

XIV. Quæ cum ita ſint, culpa vacuum omnino Juſtinianum demonſtro; nec eumdem jure poſſem reprehendere, quamvis certo ſcirem, & adhuc ſuperſtitem, nec gentibus devictis harum ſibi nomina aut vindicaſſe ſua ſponte, aut ſibi oblata a populo non recuſaſſe. Quid eſt enim in hac re aut leviter, aut ſuperbe factum, ex quo ille debeat in judicium vocari? Ego quidem si vetera monumenta Cæſarum intueor ab Auguſto ad Juſtinianum, hos fere omnes & Parthici, & Wandalici, & Germanici, Gothici, Francici, Alemannici, & aliarum gentium nomina uſurpaſſe cognoſco; neque eos ſolum, qui has gentes revera cladibus domuerant armiſque deleverant, ſed quoque illos præſertim, qui adverſus eaſdem nec paraverant unquam copias, nec duxerant exercitum. Quare ita factum eſt ſemper, ut virtute

 unius

unius aliqua gente ſubacta, cæteri Romani Imperatores illius nomine tamquam jure hæredis uſi ſint. Ut enim apud veteres Romanos, tum cum alicui ex privata familia nomen fuerat datum Magni puta, Scævolæ, Torquati, eodem ipſo nomine omnes illius familiæ appellabantur; ſic barbara gente deleta ab aliquo ex Romanis Imperatoribus, illius gentis nomine cæteri, ut familiæ & gentilitatis utebantur. Quod quam verum ſit, tot exempla demonſtrant, quot ſunt vetera monumenta Cæſarum Romanorum. Ac Juſtinus quidem avunculus Juſtiniani, vir gravis omnium opinione, & optimus Imperator, hac eâdem ratione uſus eſt, qui ſe & Francicum & Gothicum, & Wandalicum, & aliis fortaſſe nominibus, nuncupavit.

D· N· CAESAR· IVSTINVS· P· SAL· PIVS
FELIX· VICTOR· AC· TRIVMPHATOR
SEMPER· AVGVST· PONT· MAX. FRANC
MAX· GOTTH· MAX· VANDALIC· MAX
COS· III· TRIB· VIII· IMP· V
CONSPICVAM· HANC· AEGIDIS· INSVLAM
INTIMA· ADRIATICI· MARIS
COMMODISS· INTERIECTAM· VENERAN
DAE· PALLADIS· SACRARIVM· QVONDAM
ET· COLCHIDVM· ARGONAVTARVM
PERSECVTORVM· QVIETEM· OB
GLORIAM· PROPAGANDAM· IMP
S· C· IN· VRBEM· SVI· NOMINIS· EXCEL
LENTISS· NVNCVPANDAM· HONESTISS
P· P· P· DESIGNAVIT· FVNDAVIT
C· R· P· Q· ET· GENTE· HONES
TISS· REFERTAM

XV. Hæc

XV. Hæc de nominibus. Quæ autem de Beliſario, bonis, oculis honore ſpoliato, narrantur, falſa omnino ſunt. Ficta fuit hæc fabula, ultimis temporibus, quæ ita eſt brevi in vulgus diſſeminata, ut ex pueribus ipſis ſæpe audiverim, ſtipem ſine oculis quæſiiſſe Beliſarium. Etenim Conſtantinus Manaſſes, & Auctor de Origine Urbis invidia rerum geſtarum bonis oculis atque omni dignitate ſpoliatum a Juſtiniano fuiſſe memoriæ prodiderunt. Andreas autem Ratisbonenſis ſpoliatum rebus omnibus & carceri mancipatum a Juſtiniano narravit; ſed paullo poſt ab eodem & priſtinæ ſuæ fortunæ & honoribus fuiſſe reſtitutum. Verumtamen ut fallitur Manaſſes, ita qui ejus auctoritatem ſunt ſequuti. Licet enim ſæpe fuerit Beliſarius apud Juſtinianum conjurationis, & affectatæ tyrannidis accuſatus, nunquam tamen præbuit aſſenſum delatoribus Imperator. Quare tot tantiſque honoribus eſt cumulatus, ut præter Triumphi, Conſulatus, & Patriciatus honorem aureos a Juſtiniano nummos, & ſtatuam inauratam obtinuerit: ut Auctor de Spectaculis apud Combefiſium teſtatur. (16) Atqui in extrema ſenectute Beliſarius, ut auctor eſt in quin-

16 Theophanes: *Ea*, inquit, *honorum amplitudine, qua prioribus ſæculis Romanorum duces poſt magis inſignes victorias donabantur, cumulatus eſt*. Alciatus παρέργων Lib. IV. cap. 24., & Giphanius in Juſtiniano contra Petrum Crinitum Lib. 9. cap. 6. de Honeſta Diſciplina pugnarunt. Petrus Gyllius Lib. III. de Boſphoro Thracio cap. 4. fabulam hanc deridet. Samuel Scelvigius ſcripſit Hiſtoriam Beliſarii.

quinto hiſtoriæ libro Agathias, & Orientis præfecturam obtinuit, & cuſtodum corporis princeps fuit, & cum Hunnis prælio commiſſo, magna cæde facta, victoriam reportavit. Tandem cum obiit, ut ſcribit Theophanes, quoniam liberos non habebat, ſunt ejus bona ædibus maritimis, atque ærario adſignata.

XVI. Quoniam vero crimina delevimus, quibus Juſtinianus accuſatur, atque, ut mihi videtur, graviſſimis argumentis; eſt jam de virtutibus ejuſdem differendum. Qua in re ſi virtutibus ornatum multis Juſtinianum demonſtro, falſa ſint ejus vitia neceſſe eſt. Non dicam jam aliqua ex veteri oratione, ut hujuſce rei difficile ſit, & principium & exitum invenire. Ut enim ſingularum virtutum ſunt certa quædam munera & officia, & ſua cuique laus; ſic virtutes omnes in genera diſtribuuntur: & facile quiſque intelligit pietatem erga Deum, atque in rebus omnibus curam diligentiamque ſummum Imperatorem conſtituere. Eſt vero difficile definire, num major fuerit pietas Juſtiniani an religio, juſtitia an clementia, animi magnitudo an liberalitas, qua ita magnus fuit & præclarus, ut ſuæ ætatis Imperatorum laudem longe ſuperaſſe videatur.

XVII. Fidem vero cum laudo, & pietatem Juſtiniani, & Pauli Silentiarii, & Cyrilli Scythopoleos auctoritate non utor: qui cum laude multa afficiant Juſtinianum, oriri plane de illis ſuſpicio poteſt amicitiæ vel gratiæ. Neque vero horum auctoritate opus eſt, cum pietatem ejuſdem & fidem ſatis demonſtret & labor, & vi-

gi-

gilantia, & ſolicitudo, ut hæreſes damnarentur, & controverſiæ definirentur, & aſſidua divinis rebus præſentia, & cum tot ſanctis hominibus conſuetudo. (17) Etenim & Benedicto res multas, quibus ipſe ſuique viverent, donavit; & Saba, magnæ famæ viro poſtulante, ſæpe provincias tributi præſtatione liberavit (18).

XVIII. Tanta vero Juſtiniani munificentia & liberalitas & magnitudo animi fuit, ut nemo unquam tot, quot ipſe, Eccleſias extruxerit, ædificarit, ornarit: nemo tot publica & privata ædificia ubique locorum aut de novo erexerit, aut labentia reſtituerit, aut ampliora reddiderit & ornatiora: nemo tot afflictas vel terræmotu, vel peſte civitates, majoribus opibus collatis remiſſiſque vectigalibus, ſublevarit. Ipſe Populo Romano ſæpe & copioſe aurum & frumentum diſtribuit, multa vectigalibus Imperii, tam late longeque diffuſis, liberaliter eſt largitus (19).

17 Paulus Silentiarius in Magnæ Eccleſiæ deſcriptione verſ. 165.: *Habet vero*, inquit; *illa Eccleſia quiddam amplius: muro enim quodam ſecluſum locum ſervat Romanorum Imperatori ad ſolemnia & a Deo coronata feſta, ubi meus princeps ſolito in Throno ſedens ſacris libris ſuum præbet auditum*. Extat in Corpore Hiſtor. Byzant. Tom. XVI.

18 Vide Cyrillum Scythop. in Vita D. Sab. c. 70. & 75., & Epito. Chronic. Caſſinenſium apud Murator. Tom. II. Rer. Ital. pag. 351. Eutychium quoque S. hominem Juſtinianus ſummopere amavit, ut Euſtathius in Vita ejuſdem cap. 3. teſtatur.

19 Joan. Malala: *Item Juſtinianus vectigalibus per Imperium Romanum omnibus dona tranſmiſit*.

Zabanarzum Iberorum Regem, Populi Romani amicitiam poſtulantem, multis donis affecit, & muliebrem mundum, auro plenum gemmiſque, uxori tranſmiſit. (20) Omnem Wandalicam prædam, quæ fuerat Hæbreorum, templo Hieroſolymæ reſtituit. Sæpe tandem militibus teſſeras donorum diſtribuit, ſæpe ſocios & fœderatos ab oneribus liberavit, ſæpe eſt tandem eiſdem innumera privilegia impertitus. His gratam omnibus, & ſingularem comitatem conjunxit, facilitatemque, qua exterarum gentium legatos, pacem auxiliumque imploranteis, adjuvit, omnes benigniter excepit, præces tandem ſingulorum audivit, pauperesque recreavit. (21) Sic tandem juſtitiam coluit & clementiam, ut impunitum neminem, ſalvos omnes uno tempore, incolumeſque reddiderit. Namque & minis improbos deterruit, ac ſæpe etiam pœnis hominum improborum conatus, furoreſque compreſſit. Leges multas tulit, quibus ipſe criminibus præivit, & novos magiſtratus creavit, ut majora atque atrociora facinora inquirerent, ac judicarent.

XIX. Quid de manſuetudine dicam, moderatione, prudentia, humanitate? Hic namque reges bello captos, qui olim ad triumphi ſpectaculum ſervabantur, non ſolum non aſpere tracta-

20 Zonaras.

21 Confer eumdem. Juſtinus nepos Juſtiniani in Tertiæ Conſtitutionis procemio: *A patre enim noſtro, inquit, qui una cum aliis virtutibus pudicitiam mirifice amplexatus eſt conſcripta lex eſt:* Et cetera.

ctavit, verum etiam donis multis, atque honoribus, ac ſua quoque amicitia cumulavit. Hic milites adverſarios partim a victis provinciis abire cum rebus ſuis juſſit incolumes, partim, loco ad habitandum deſignato, in ſuam fidem tutelamque recepit. Hic, provinciis omnibus pacatis, Imperium omne, & ſua, & militum, & magiſtratuum diligentia conſervavit. Nihil de incredibili ſolicitudine dicam in Imperio adminiſtrando: id quod & graviſſima bella ſuſcepta, & leges conditæ, & novi magiſtratus demonſtrant: nihil de ſingulari continentia, qua fuit ſemper admirationi: nihil tandem de eximia temperantia, ut cum vix dapes violaſſet, eas removeri imperaret, & cum aliquam noctis partem ſomno dediſſet, quod ſupererat tempus, negotiis reipublicæ tranſmitteret. Qua de re felix ſummopere fuit: omnia libera, omnia pacata conſpexit: optimæque diſciplinæ, cum tot eas tantiſque præmiis coluiſſet, ac viris doctis & ſtrenuis gravia bella, munera, magiſtratus mandaſſet, multum eodem imperante floruerunt: ac nulla unquam ætas poſt auream tot ſummis Imperatoribus abundavit, atque ita artibus ſeſe ſtudiiſque commendavit. Nam & bonæ artes artificeſque præclari in quolibet genere eodem imperante floruerunt, cum innumerabiles domus, templa quamplurima, picturis exornata & figuris, fuerint ubique locorum ædificata, & ſtatuæ poſitæ, & erectæ columnæ, & aurei magnique nummi conflati. (22)

 Nec

22 Aureum nummum Juſtiniani refert, atque explicat

Nec ſolum in artibus viri excellentes fuerunt; ſed etiam in ſtudiis optimis quamplurimi. Etenim magnæ doctrinæ viri, divinis & humanis rebus eruditi, hoc tempore viguerunt, multi qui hiſtorias ſcripſerunt: multi, lepôris & venuſtatis pleni, eleganteis poetæ.

XX. At vereor jam, ne nimius ſim in Juſtiniano laudando. Ea igitur quæ ſuperſunt, ſola hiſtoricorum auctoritate complectar. Quanquam enim iſti virtutes Juſtiniani, veluti acervatim, commendarint; attamen ab iiſdem fons adeo perennis laudum dimanat, ut nulla hominum eloquentia abſorberi poſſe videatur. Itaque in Prima ad Perſas legatione (23) vir gravis, & magnus, & conſtans, item potentiſſimus nuncupatur; & Coryppus laudans in rebus omnibus ſolertiam Juſtiniani, ſic paucis verbis exclamat:

Aſpice quanta fuit noſtræ ſimul urbis & orbis
Provida cura ſeni.

Joannes Malala Imperium cura & ſolicitudine Juſtiniani, reſtitutum narravit; fateturque Agathias (24) eumdem & rebus geſtis, & felicitate, & virtute ceteris aliis Imperatoribus antecellere. Sed maxime etiam laudat Jornandes Juſtinianum,

---

cat vir doctus De Boze, qui fatetur ingenue, nullum in tota antiquitate adeo præclarum nummum extare. Vide ejus ad hunc obſervationes Tom. XXVI. de l'Hiſtoir. de l'Acad. Roy. des Inſcript. pag. 523.

23 Tom. I. Hiſtor. Byzant. pag. 148.

24 Lib. V.

num, (25) cujus nulla ætate famam nomenque interiturum profitetur. Quid Photius, & Manaſſes? quid Paulus Diaconus (26)? quid Sextæ Synodi Patres de Juſtiniano? Illi enim omnes magnum, optimum, felicem Juſtinianum nuncupararunt; hi vero, ut Conſtantinum laudarent, eumdem cum Juſtiniano comparaverunt (27). Denique τὸν μέγαν καὶ περιβόητον βασιλέα *magnum & præclarum Imperatorem* Juſtinianum appellat Conſtantinus Porphyrogenneta.

XXI. Ita vivens, nec rerum magnitudine, nec temporis diuturnitate, nec longo labore defeſſus

---

25 Cap. 59.

26 Photius in Epiſtola de Septem Synodis Æcumenicis: *Tunc*, inquit, *Juſtinianus optimus Imperator Romanum Imperium obtinebat, & decretis favebat Eccleſiaſticis*. Paulus Diaconus de Geſtis Longobardorum Lib. I. cap. 25. *Hac tempeſtate Juſtinianus Auguſtus Romanum Imperium felici ſorte regebat, qui & bella proſpere geſſit, & in cauſis civilibus mirificus extitit. Erat hic Princeps fide catholicus, in operibus rectus, in judiciis juſtus; ideoque ei omnia concurrebant iu bonum. Ad Juſtinianum*, inquit Manaſſes, *ſupra Imperatores priores magnificum Imperium pervenit*. Sigonius De Occidentali Imperio Lib. XVII. anno DXXVII.: *Hic eſt*, inquit, *magnus ille Juſtinianus, quem merito poſteri, juris conditorem, libertatis reſtitutorem, barbarorumque profligatorem, linguis ſcriptiſque conſentientibus celebrarunt*.

27 Sic legitur Actione XVI.: *Exclamaverunt univerſi: Multos annos Imperatori Conſtantino magno Imperatori multos annos, pacifico Imperatori multos annos, Conſtantino novo Martiano multos annos, Conſtantino novo Theodoſio multos annos, Conſtantino novo Juſtiniano multos annos, conſervatori rectæ fidei multos annos*. Et Actione XVII.: *Novo Juſtiniano Conſtantino æterna memoria*.

feſſus Juſtinianus & a ſuis civibus, & a longinquis regibus maximus ſemper eſt habitus Imperator. Quare & Amalaſuntha eidem obtulit Italiam, & ab Abocharolo dono Phœniciam accepit. Sed Romanus Populus facto ſuo maxime declaravit, quantum apud ſe meritis gratia, auctoritate valeret Juſtinianus. Nam cum ejus imago frequenti hominum concurſu poneretur, ceteris voce & corpore plaudentibus, & Juſtinianum cum Conſtantino, cujus tum etiam ingens erat fama, comparantibus, ſic Praſina Factio clamabat: ΙΟΥΣΤΙΝΙΑΝΟΣ ΚΑΙ ΚΩΝΣΤΑΝΤΙΝΟΣ ΝΕΟΙ ΑΠΟΣΤΟΛΟΙ (28).

L I-

28 Auctor de Spectaculis apud Combefiſium *Originum Rerumque Cpolitanarum*.

LIBER XII.

De Religione, Errore, obitu, & Funere Juſtiniani.

Reliquum eſt, ut pauca de Juſtiniani morte dicamus, quam ſua hæreſi obſcuram reddidiſſe videtur. Sive enim ſuperbia elatus, ſive ob mentis defectum, paullo antequam moreretur a fide deſcivit. Attamen hoc certe videor mihi veriſſime poſſe dicere, in reliqua vita ſemper Juſtinianum ſummo ſtudio quæſiſſe veram fidem, patrumque religionem.

II. Novit unuſquiſque jamdudum, quaſdam *Fidei Confeſſiones* ſcripſiſſe Juſtinianum, quas aut Summis Pontificibus dedit, aut in ſacris cœtibus ipſe recitavit. Si quis autem poſtulat, quid ſit, cur ipſe has fidei confeſſiones, tam frequenter compoſuerit, haud longe quærenda ratio eſt. Cum enim Oriens plenus tam eſſet hæreſibus, & ubique occulti hæretici, ne ſedibus quidem Eccleſiarum exceptis, verſarentur; ne in aliquem

quem ipſe errorem incurreret, ea quæ credebat, ſæpe hominum integrorum examini ſubjiciebat. Adeo rectæ fidei amore flagrabat, ut ab omni vel minima erroris ſuſpicione abhorreret. *Prima ſalus*, inquit ad Bonifacium, *eſt rectæ fidei regulam cuſtodire, & a conſtitutis Patrum nullatenus deviare*. (1) Quam quidem fidei confeſſionem, licet fictam eſſe nonnulli exiſtimarint, nulla potior tamen afferri ratio poteſt, ut non huic, cæteris vero aſſentiamur. Adeſt enim in antiquis libris hæc quoque, eâdem eſt ſcripta ſimplicitate orationis, ejuſdem eſſe auctoris facile cognoſcitur.

III. At ſi hæc ſcripta *fidei confeſſio* a Juſtiniano non fuit, nonne aliæ extant editæ ab eodem *Fidei confeſſiones*? (2) Nonne nunc etiam ſuperſunt epiſtolæ ejuſdem plenæ fidei, plenæ pietatis, plenæ ſanctitatis? Quid de libro in Anthimum ſcripto dicam? quid de illo in Origenem? qui ad Eccleſiæ fidem, doctrinamque exacti cum eſſent, in hæreticos ipſos a Sextæ Synodi Patribus proferuntur. (3) Adſunt quoque leges

1 Hæc fidei Confeſſio extat Tom. V. Concil. p. 827., ſcribens ad Joannem II.

2 Confer ſis Pagium ad A. C. DXXXV., num. 61. & omnino titulum Codicis Juſtinian. de Summa Trinitate.

3 Act. X.: *Teſtimonia Sanctorum*, καὶ ἐκκρίτων πατέρων, *oſtendentia duas voluntates, & duas operationes in Domino, & Deo, & Salvatore noſtro J. C. . . . Item relectum eſt ex eodem Codicillo Teſtimonium Juſtiniani piiſſi-*

leges ſanctiſſimæ, quæ nunquam ſunt ſervituræ oblivioni. Quæ quidem omnes, cum apprime eſſent veteri traditioni conformia, non modo approbationem, ſed etiam laudem a Summis Pontificibus ſunt conſecutæ. (4) Etenim Juſtinianum Hormiſdas ut veræ fidei ardore inflammatum commendat (5): Eumdem ſummis laudibus effert; Joannes, quod a religione majorum non diſcederet: Agapetus, quod incorruptæ fidei conſervationi ſtuderet: (6) quod tandem pro Eccleſiæ unitate laboraret, Pelagius. (7) Quid plura? Nonne ab Agapito Anthimum damnatum ex urbe dejecit? Nonne Vigilium ad urbem accerſivit, ut hæres naſcen-

piiſſimi Imperatoris ex libro contra Neſtorianos, & Acephalos . . . Item relectum eſt ex eodem Codicillo teſtimonium ejuſdem Sanctæ memoriæ Juſtiniani ex dogmatica epiſtola ad Zoilum ſanctiſſimum Patriarcham Alexandriæ.

4 *Non quia laicis*, inquit eidem Agapetus, *auctoritatem prædicationis admittimus, ſed quia ſtudium fidei veſtræ, Patrum noſtrorum regulis conveniens, confirmamus, atque roboramus.*

5 *Magnitudinis veſtræ*, inquit, *litteras Sanctæ fidei plenas amore ſuſcepimus, quibus ad exercendam apud vos prædicationis Apoſtolicæ firmitatem, opportunitatem nobis proveniſſe divinitus nuntiaſtis. Unde indeſinenter Domino noſtro agimus gratias, qui ad tam præclara remedia & tempus vobis, & animum dedit.*

6 Vide Noriſ. in Diſſ. *De Uno in Trinitate paſſo*.

7 In Epiſtola ad Childebertum Regem. Juſtinianus in Epiſtola ad Epiſcopos tom. VI. Concil. pag. 20.: *Cum ſecundum ſuam miſericordiam*, inquit, *Dominus Deus Reip. gubernationem nobis credidit, initium & fundamentum noſtri Imperii fecimus, conjungere diviſos Sacerdotes Sanctarum Dei Eccleſiarum ab Oriente uſque ad Occidentem,*

ſcentes comprimeret, & Capitula examinaret? (8) Quî fieri potuit, ut de Anthimo Marianus, & de Zoara Syro Archimandritæ ad Juſtinianum retuliſſent, ſi aut hæreticis faviſſet, aut conſtanti animo in fide non fuiſſet (9)?

IV. Quæ ſumma quidem diligentia Juſtiniani in vera fide tuenda ab iis cognita eſt, qui ea ætate vixerunt, celebrata poſtea ab iis, qui res ejus geſtas litteris tradiderunt. Omitto laudes illas, quibus Juſtinianum Quintæ Synodi Patres cumularunt; nec de Vigilii Conſtituto verba faciam. Pontianus quidem Epiſcopus, cum ſcriptam fidem legiſſet Juſtiniani adeo eſt gaviſus, ut illuxiſſe diem crediderit, quo Romanum Imperium priſtinæ ſuæ dignitati reſtitueretur. *Principaliter*, inquit, *nomen ab ipſis incunabulis juſtitiæ ſuſcepiſti, & juſtus Dominus, qui ita præſtitit, ut nomen ante juſtitiæ tribuerit, cui Imperii poſtmodum gubernacula contuliſſet. Adunata eſt igitur gratia Creatoris non ſolum in nomine, verum etiam & merito, cujus vita exaltata eſt imperando, & Imperium juſte vivendo. Dignatus es nos in Africa commorantes litteris admonere, qualem fidem teneas & defendas . . . Exultavit ſpiritus noſter*, (ut intellexi) *hoc firmiter te, piiſſime Imperator, tenere, quod Apoſto-*

8 Marcell. Comes ad An. DXLVI.: *Vigilius Papa LIX. ab Apoſtolo Petro, evocatus ab Imperatore Roma egreditur.*

9 Extant Supplicationes in Regia Concil. Edit. anni 1741. Tom. II. pag. 1194., & 1270.

ſtolica fides prædicat : credentes , quod a rectæ crudelitatis tramite non declines. Clamant deinde plures ſimul Epiſcopi, tot eumdem, ac tam præclaras victorias de hoſtibus reportaſſe, quod rectam fidem defenderet ac tueretur. *Magnificavit Dominus*, inquiunt (10), *ſacrum & juſtum Imperium veſtrum, & omnes veſtros adverſantes veſtræ potentiæ ſubjecit : quoniam ſanctam & immaculatam fidem defendentes, purum frumentum, hoc eſt recta dogmata, ſicut incenſum offeritis ſuæ bonitati; paleas autem igne inextinguibili comburitis.* Felix præterea ſemper fuiſſe Imperium Juſtiniani Paulus narrat, ea de cauſa profecto, quod unquam a Patrum religione deflexerat (11). Maximo tandem fidei ſtudio flagraſſe legitur in Libro Pontificali (12) & Synodum Chalcedonenſem ab eo vindicatam Nicephorus narravit (13).

V. Sunt autem maxime honori Juſtiniano ea præſertim, quæ ſcripſit Joannes, qui præfuit Eccleſiæ hoc nomine ſecundus, Agapitus quoque Pontifex Romanus, atque in Eutychii Vita vir gra-

10 Epiſcopi Secundæ Syriæ in Epiſtola ad Juſtinianum.

11 Paul. Diacon. De Geſ. Long. Lib. I. cap. 2. : *Erat*, inquit, *hic princeps fide catholicus . . . . Ideoque ei omnia concurrebant in bonum.*

12 In Vita Joannis II. *Eodem tempore vir religioſus Auguſtus Juſtinianus ſummo amore Chriſtianæ religionis miſit fidem ſuam ſcriptam Chirographo proprio ad Sedem Apoſtolicam per Epiſcopos Hypatium & Demetrium.*

13 Lib. XVII. cap. 7.

gravis Euſtathius. Ac primum quidem Joannes hac ratione alloquitur Juſtinianum. *Cum de religionis catholicæ fide ea ſapitis, ea protuliſtis, ea fidelibus publicaſtis, quæ ſicut diximus & Sedis Apoſtolicæ doctrina, & Sanctorum Patrum veneranda decernit auctoritas & nos confirmamus in omnibus*. Agapetus autem: *Gratulamur*, inquit, *Venerabilis Imperator, quod tanto catholicæ fidei ardore ſuccenderis, ut omnibus piiſſimæ vitæ veſtræ temporibus piam ſolicitudinem circa ſervandam augendamque Eccleſiæ concordiam clementer exhibeas, & unam fidem, ſuaque per omnia omnibus populis chriſtianis cupias prædicari*. Denique in primo libro Euſtathius: *Scitis omnes*, ait, *quotquot adeſtis ſciendique ſtudioſi, Sanctum Concilium Quintum in Regia Urbe fuiſſe celebratum regnante Divo Juſtiniano Imperatore, qui Chriſtianæ religionis ſtudioſiſſimus fuit, & diligentiſſimus in congregandis ſanctiſſimis Epiſcopis adverſus Tria Capitula*.

VI. Sed poſtremo vitæ temporæ Juſtinianus in errorem *Incorruptibilium* miſere declinavit. Id enim præter Evagrium, Anaſtaſium (14), Glycam (15), ac Zonaram, Euſtathius in Eutychii Vita teſtatur. (16) Qui quidem Euſtathius & Con-

14 Hiſtor. Eccleſ. Vide S. Nicetii epiſtolam apud Baronium,

15 Annal. Par. IV. Vide I. Lamium in Diſſ. de Michaele Glyca Tom. V. *Delic. Erudit.*

16 Multi ab hæreſi Juſtinianum defendere aggreſſi ſunt. Eichelius ad Procopium Conrad. Schurzfleiſchius. in

Conſtantinus Manaſſes, & Nicephorus, deceptum Imperatorem ab hæreticis fuiſſe narrarunt (17): a quibus circumventus in multos ſanctos viros, qui obſtabant, arma movit; atque etiam mente tot annis, tot rebus, tot periculis, tot laboribus fatigatus, deficiens, ejecit in exilium Anaſtaſium, cum ſubſcribere edicto recuſaſſet. *Imperator*, ait

in Juſtiniano Orthodoxo, *in quo argumento multo ſolidius & elegantius verſatus eſt*, ut ait Hoffmannus, Albertus Hungerus teſte Giphanio, J. Paulus Windechius in Theologia ICtorum, & Arnoldus Corvinus a Beldren in Imperatore Juſtiniano M. Catholico. Quid dicam de his? Horum neminem legere mihi fas fuit.

17 *Hæresi*, inquit Lib. XVII. cap. 29. Nicephorus, *inhæſit non altius dogma tale inveſtigans, verum verbi ipſius ſignificationi acrius inſiſtens, videlicet, qui haudquamquam tale quiddam de Chriſto propter ſummum ipſius erga illum amorem & deſiderium, audire conſtituerit. Princeps etenim iſte tanto in Chriſtum pietatis ardore flagraſſe ab eis, qui res illius memoriæ poſteritatis mandarunt, dicitur, quanto alius qui Imperium ante eum obtinuérunt, nemo &c.* & cap. 31. *Nonnulli quidem ei veniam concedunt, neque ob talem opinionem, itidem ut hæreſes alias, ab Eccleſia proſcribendum eſſe dicunt. Id ex Præfatione VI. Synodi magis liquet, quæ Juſtinianum beata quiete dignatur verbis ejuſcemodi: Quandoquidem &c. . . . Sed enim acta quoque ejus concilii, quum mentio ejus facienda eſt, ſemper eum, qui in Sanctis eſt Juſtinianum dicunt. In quibus & σχόλιον inveni, quod Joannes Chalcedonis filius, quum Cpolitanæ præeſſet Eccleſiæ, Alexii Comneni ætate, in ipſo Dei Verbi Sapientiæ templo, quotannis magnifice memoriam ejus celebravit, populi univerſi concione ad rem divinam coacta. Memoria ejus Epheſi quoque in Eccleſia diſcipuli ejus, qui ſupra pectus Salvatoris recubuit, culta: quam Eccleſiam ipſe Juſtinianus conſtruxerat.*

Manaſſes, *laudabili pietate præditus, contra impie ſentientes, ac præſertim adverſus ſcurrilem Ethnicorum errorem bellum commovit; quanquam ad extremum a prophanis quibuſdam hominibus deceptus, in eorum prolapſus eſt impietatem, qui opinionem de incorruptibili probant*. Euſtathius vero inquit: *Prævaluerunt circumvenientes Imperatorem, eoque perſuaſo inſtar guttarum cadentium petram excavarunt*. Et poſt: *Erant autem, qui hæc machinati ſunt, non ſolum ex eorum numero, qui apud Imperatorem valebant plurimum, ſed etiam ex ſacerdotibus inſigniores, & magnarum Eccleſiarum præſules*. (18) *Princeps tandem*, ait Theophanes, *affectus morbo Juſtinum ex ſorore nepotem conſortem Imperii fecit . . . Ingraveſcente morbo, non ſanus mente deceſſit*. Sunt tamen, qui cenſeant, eumdem ab errore reſipuiſſe, atque in vera fide obiiſſe: quoniam & a Gregorio (19), Pelagio (20), Nicholao (21) Summis Pontificibus piæ memoriæ vir nuncupatur: & ab Agathone maxime eſt commendatus (22), atque a Sextæ Synodi Patribus Sanctus

18 Vide omnino Lib. IV. cap. 33., 34., & 35.

19 Epiſt. 10. Lib. II., & Epiſt. 4. Lib. III.

20 Ad Eliam Aquilejenſem.

21 Ad Michaelem Imperatorem.

22 Agatho in Epiſtola I. Encyclica Tom. VII. Concil. pag. 690. *Non deſunt*, inquit, *& aliorum Venerabilium Patrum probatiſſima teſtimonia, duas manifeſte dicentium naturales operationes in Chriſto . . .* id &c. *& præ cæteris omnibus emulator veræ & Apoſtolicæ fidei piæ*

ctus vir appellatus. (23) Quo ſu loco prætereo id, quod gratia dictum ab aliis fuiſſe in Juſtinianum plerique exiſtimarunt, ejus videlicet nomen Græcos inter alia hominum ſanctiſſimorum retuliſſe (24): cum hodie præſertim neque in magno Græcorum Menologio, neque in illo Baſilii, nec in Menæis Caniſii (25) reperiatur.

VII. Senex autem factus, cum & filium nullum haberet, & valetudine adverſa laboraret, anno Imperii ſui nono & trigeſimo (26),

 Ju-

---

piæ memoriæ Juſtinianus Auguſtus, cujus fidei rectitudo quantum pro ſincera confeſſione Deo placuit, tanto Rempublicam exaltavit.

23 Act. X. ex Cod. Pariſienſi: *Præterea lecta fuit ex eodem Codice ejuſdem Sancti Juſtiniani ſententia ex dogmatica ad Zoilum Sanctiſſimum Alexandrinum Patriarcham Epiſtola.*

24 Joannes Faber in Procem. Inſtitut. *Ego vidi*, inquit, *nomen Juſtiniani ſcriptum in Catalogo Sanctorum Kalendis Auguſti*. Verba hæc aſſeruntur: *Memoria piæ recordationis Imperatoris Juſtiniani in Æde Apoſtolorum*. Vide Hermetem in Faſciulo Juris.

25 Antiquarum Lectionum Tom. III.

26 Annos XXXIX. imperaſſe Michael Glycas Annal. par. IV. Scripſit, Auctor Catalogi Imperatorum apud Joan. Leunclavium Jur. Græc. Rom. Lib. II., Theophanes, & Catalogus Imperat. Codicis Palatino-Vaticani apud Scheleſtratem in appendice pag. 620. Chronicon Paſchale annos XXXVIII. & menſes XI. Anaſtaſ. Biblioth. Hiſt. Eccl., Zonaras, Cedrenus annos XXXVIII menſes VII., dies 13. Aimonius Lib. III. Hiſt. Francor. annos XXXIII. Regino Monachus, & Beda annos XXXVIII. Chronicon Romanæ Hiſtor. apud Schelſtratem pag. 636.: *Juſtinianus Philoſophus*, inquit, *regnavit annos XXXVIII.*

Juſtinum ex ſorore Vigilantia nepotem adoptavit, totamque eidem Imperii adminiſtrandi curam reliquit. Quare ad Juſtinum Coryppus:

Te Pater Omnipotens divino ornavit honore,
Te dominum ſacræ firmavit Avunculus aulæ.
Quid fundis lacrymas? rerum quid gaudia defles?
Projice triſtitiam vivit Pater, æthære vivit,
Et fruitur meliore die.

Et poſt:

Nunc idem genitor lætus plenuſque dierum
Funere felici cæleſtia regna petivit.

Paullo poſt Juſtinianus & diuturno labore feſſus, & annis (natus enim erat annos pluſquam octoginta) grave in morbum incidit, quo tandem oppreſſus, quarto & decimo die menſis Novembris, ultima noctis Vigilia mortuus eſt (27). Habuit, dum vivebat, præter florentem valetudinem, faciem non invenuſtam, quam inceſſus decor & majeſtas vultus, & comitas augebat. Ita-

27 Coryppus. Annum ætatis agebat LXXXIII. Juſtinianus, quod & Balduino placuit. Erat annus Chriſti DLXV. Sed Marius in Chronico anno poſt Conſ. Baſilii XXV. mortuum ſcribit: atque Iſidorus Hiſpalen. in Chronico Gothorum annum Juſtiniani anno Chriſti DLXIV. reſpondiſſe ſcribit. Vide Saxium ad Sigonium de Imperio Occidentali in hunc annum, Bollandiſtas ad diem 21. Aprilis, Noriſium in Diſſ. de V. Synodo cap. 9. §. 2., Pagium ad hunc annum, atque in eumdem P. Manſium, denique Hoffmannum in Hiſtor. Jur. Lib. II.

Itaque & mortuus, cum nec ſuavem adſpectum, nec hilaritatem perdidiſſet ſuam, feretro impoſitus placido dormire ſomno videbatur. Coryppus hinc:

... Solito candore nitens, quia vicerit orbem
Mors veneranda viri ſignis monſtravit apertis.

Item:

Ipſe videbatur cunctis plangentibus unus
Effigie gaudere pia, diademate comptus,
Purpureaque in veſte jacens requieſcere ſomno.
Haud reor immerito ſic lætus, & ore benignus
Ille foret moriens, niſi mens, ſibi conſcia recti
In cælum properans, ſecuros linqueret artus,
Et totum imperium firmato hærede locaret.

Tum Libro Secundo:

Ipſum quin etiam functi gaudere putares
Corpus in Angelicam mutatum morte figuram.

VIII. Prima luce, Patres vocati conveniunt, corpuſque in atrium Palatii ductum eſt. Erant longæ porticus veterum Imperatorum, ingentibus columnis exornatæ, quas ſenatus omnis, & plebs Romana oppleverat: ardebant aureis laquearibus faces, & circum feretrum innumeræ aureis argenteiſque columnis impoſitæ conflagrabant: odores cremabant aræ, tacitoque adſtantium fletu funus luctuoſius fiebat.

Ante fores jam pompa fuit, paſſimque per aulam
Porticibus longis ſtabat cum plebe Senatus.

Interius flentes famuli. Vaſa aurea mille,
Mille columnarum ſpecies, argentea mille,
Quæ ſuper impoſitis implebant atria ceris:
Ordine cuncta ſuo patrum ſic more parato
Triſte miniſterium ——
—— *Lux undique fulget,*
Aurea conſpicui luſtrans laquearia tecti.
Thura ſabæa cremant, flagrantia mella locatis,
Infundunt pateris, & odoro balſama ſucco
Centum aliæ ſpecies unguentaque mira feruntur,
Tempus in eternum ſacrum ſervantia corpus.

IX. Uſque ad ſextam horam luxit domus funere domeſtico, quando Juſtinus efferri corpus ad ſepulturam imperavit. Jam frequens vias & templum populus occuparat, cum funeris pompa e Palatio ad Eccleſiam ducta eſt. Patres feretrum anteibant, erantque circum agmina Sacerdotum, qui cum ſacris Virginibus animæ alterno requiem cantu præcabantur: ultimus aurea veſte Juſtinus ſequebatur.

—— *Non plura moratus*
Auguſtus nutu tolli ſublime feretrum,
Imperat, & tota populus proceſſit ab aula,
Mæſtaque funereas accendunt agmina ceras.
Hinc Levitarum venerabilis ordo canentum,
Virgineus tonat inde chorus vox æthera pulſat.

Elatum funus cum fuit, nemo ſeſe potuit a lacrymis continere. Hinc enim puerorum voces au-

audiebantur, qui patrem amiſſum lugebant: illhinc ululatus mulierum, quæ, crinibus paſſis, manus ad eum tendentes, quo Auguſtum abiret, interrogabant, ac mortuum flentes deprecabantur, ne ſui curam tutelamque deſereret: virorum voces ſtrepitu obſcuro tacitæ reſonabant, quorum alii grates ultimas optimo Imperatori perſolvebant, alii amicum, velut acerbo funere, ereptum, lugebant. Servi etiam, atque omnes illi, qui fuerant a juſta ſervitute liberati ſingultus & mœrore vias implebant, ac ſibi mortem & luctum deprecabantur: hi quidem, ut tantum patrem, a quo leges habuerant & libertatem, neceſſario etiam dolore proſequerentur; illi, ut amiſſam cum ejus vita ſpem libertatis, deflerent.

X. Quare inter lacrymas omnium ordinum atque ætatum, ductus ad Templum Apoſtolorum, in ſepulchro,

Quod prius ipſe ſibi puro conſtruxerat auro, (28)

poſitus eſt, incepitque Juſtinus imperare.

---

28 Coryppus Lib. III. Anonymus de Sepulchris Imperatorum Romanorum apud Anſelmum Bandurium in urna ex hieropolitano lapide locatum ſcribit. Nicephorus Lib. XVIII. cap. 3. ex lapide Sardio in Æde Apoſtolorum ad dextram templi partem conſtructo. Corpus incorruptum eſt repertum anno MCCIV. quando Urbs a Latinis capta eſt. Vide Nicetam Choniatem, qui hoc tempore ſcripſit, apud Bandurium Lib. VI., & Fabricium Biblioth. Græca Vol. VI. pag. 405.

DF 572
.I6

589340

Invernzi

De rebus gestis Justinia[n]
magni ...

H S
O

Digitized by Google

UNIVERSITY OF CHICAGO
097 211 977